880
M33s

Marcks
Symbola
critica

CLASSICS

Return this book on or before the
Latest Date stamped below.

University of Illinois Library

NOV - 3 1975

374

L161—H41

CLASSICS

SYMBOLA CRITICA

AD EPISTOLOGRAPHOS GRAECOS

DISSERTATIO PHILOLOGICA QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE II M. IULII A. MDCCCLXXXIII HORA XII DEFENDET

IOANNES FRIDERICUS MARCKS
CREFELDIENSIS

ADVERSARII ERUNT

SEBASTIANUS DEHNER
SIGIFRIDUS SUDHAUS
ERNESTUS MUELLENBACH

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI UNIV. TYPOGR.
MDCCCLXXXIII

880
M33e

25 Ja 28 A.M.F.

Charles G. B. Garton AUG 29 Hummelsville

FRANCISCO BUECHELER
EDUARDO LUEBBERT
HERMANNO USENER

639461

I. QUAESTIONES CHRONOLOGICAE.

De epistolographis Graecis scripturus ordiar ab Euripidis epistulis quoniam solae hae qua aetate a quo fictae sint aperte traditum accepimus. in Arati enim vita magna (biograph. p. 55 ed. Westerm.) haec leguntur: τὰς δ' Ἀράτου ἐπιστολὰς — — — πάντων σχεδὸν συμφωνούντων τὰς εἰς αὐτὸν ἀναφερομένας αὐτοῦ εἶναι καὶ ὁμολογούντων γνησίας αὐτὰς μόνος Ἀπολλωνίδης ὁ Κηφεὺς ἐν τῷ η' περὶ κατεψευσμένης ἱστορίας οὐκ εἶναι αὐτὰς Ἀράτου φησίν, ἀλλὰ Σαβιρίου Πόλλωνος· τοῦ δ'αὐτοῦ τούτου φησὶν εἶναι ἐπιγεγραμμένας Εὐριπίδου ἐπιστολάς. quae verba accuratius examinare ea de causa non inutile erit quia a nemine adhuc omni ex parte recte tractata sunt. ac primum quidem Bentleius[1]) rectissime statuit Apollonidem illum qui hoc loco commemoratur eundem esse atque eum cuius libri περὶ κατεψευσμένων apud Ammonium[2]) afferuntur; nemo enim censebit inter se diversos esse libros περὶ κατεψευσμένης ἱστορίας et περὶ κατεψευσμένων: id unum licet dubitare num fortasse illi περὶ κατεψευσμένης ἱστορίας libri pars fuerint librorum qui περὶ κατεψευσμένων inscribebantur, neque potest hac de re quidquam pro certo affirmari. si vero in vita Aratea legitur Ἀπολλωνίδης ὁ Κηφεύς, hoc non mutandum est cum Bentleio qui scripsit ὁ Νικαιεύς, sed mordicus

---

1) *Dissertations upon the epistles of Phalaris, Themistocles, Socrates, Euripides, and upon the fables of Aesop* in *Works collected by Dyce* II p. 221 (in versione Ribbeckiana p. 558).

2) p. 77 Valck. κατοίκησις καὶ κατοίκισις διαφέρει, ὥς φησιν Ἀπολλωνίδης ὁ Νικαιεὺς ἐν τῷ τρίτῳ περὶ κατεψευσμένων e. q. s.

tenendum. nam ut omittam commemorare quam procul absit ΚΗΦΕΥϹ a ΝΙΚΑΙΕΥϹ quibus verbis praeter terminationem sola Κ littera communis est, quid putas impedimento esse quominus Ἀπολλωνίδης dicatur ὁ Κηφεὺς ut Ἀπολλώνιος ὁ Μόλων [1]), Ἡρώδης ὁ Ἀττικός, Ἀθηνόδωρος ὁ Σάνδων similia [2])? inde enim noli argumentum petere quod praeter unum hunc locum Apollonides non nominatur Cepheus. quam saepe talia occurrunt in antiquis litteris! Apollonides igitur Cepheus grammaticus ille Nicaenus est quem cum alia ut ὑπόμνημα περὶ παραπρεσβείας Δημοσθένους et περίπλουν Εὐρώπης et libellum περὶ παροιμιῶν scripsisse tum commentarium quem in Timonis Phliasii Sillos composuit ad Tiberium Caesarem misisse scimus, qua dedicatione grammatici illius aetas satis constat.

quae postquam exposuimus de altero quod in vitae Arateae loco allato commemoratur nomine proprio iudicium poterit stabiliri. corrupta enim sunt quae in codicibus traduntur 'felicique divinatione Bentleius Sabidii Pollionis nomina adseruisse scriptori' visus est [3]), 'quoniam haec ipsa ita composita primo aevo imperatorio titulus Campanus exhibet (cf. Mommseni indicem IRN)'. quo in indice Sabidi Pollionis

1) quae Alexander Riese de Apollonio Molone in Mus. Rhen. XXXIV (1879) p. 627 ss. disputavit mihi non probantur. constat enim Quintiliani (XII, 6, 7) testimonio Ciceronem Rhodi audivisse Apollonium Molonem qui apud Iosephum et Ἀπολλώνιος ὁ Μόλων (c. Ap. II, 14. 36) et Ἀπολλώνιος (c. 37) et Μόλων (c. 2. 33) nominatur. Apollonius autem Molo filius Molonis est quod Plut. Cic. 4, Caes. 3 apertis verbis traditur, ut Herodes Atticus filius Attici. si vero Cicero magistrum suum Molonis tantum nomine affert, id quod valde dubium est, ex hoc silentio nihil efficitur neque e Strabonis quos Riese commemorat locis (XIV, 655. 661), quandoquidem etiam Iosephus solo Molonis nomine utitur pro Apollonio Molone.

2) alia exempla invenies in Roeperi recensione quam scripsit de Laerti Diogenis editione Cobetiana in *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft* X (1852) p. 433 ss.

3) cf. Fleckeiseni annal. philol. CIX (1874) p. 695.

nomen extat collatis inscriptionibus 1968 et 2176, sed in posteriore tantum titulo traditur P. Sabidius Pollio, cum in priore legatur P. SVBIDIVS POLLIO. nesciebam, cum haec viderem, quid statuendum esset. a typotheta peccatum esse quis crederet? epistulam igitur misi ad Mommsenum ipsum et ex eo quaesivi quomodo res se haberet. atque celerrime vir ille doctissimus qua est comitate erga omnes qui precibus eum adeunt mihi respondit re vera legi in priore inscriptione Subidium, in posteriore Sabidium. cum vero prior titulus qui fragmen est fastorum Nolanorum bene traditus sit, in eo nomen rectum inesse se putare, in altero qui in fistula plumbea est vitiose scriptum esse Sabidium pro Subidio; nam ad eundem Pollionem utramque inscriptionem referendam esse minimum valde veri esse simile. sequitur ut ad hos titulos non debeamus confugere ut tueamur Bentlei coniecturam, quamvis sine dubio recte iudicaverit Pollionis nomen in illo Πόλλωνα latere; de Sabirio autem nihil ausim pro certo affirmare[1]). quis vero fuerit ille Pollio Westermannus eruit. in Porphyrianis enim quae extant Euseb. praep. ev. X, 3, 23 p. 467 d haec sunt: Πολλίωνος ἐπιστολὴ πρὸς Σωτηρίδαν περὶ τῆς Κτησίου κλοπῆς[2]), τοῦ δ'αὐτοῦ καὶ περὶ τῆς Ἡροδότου κλοπῆς ἐστι βιβλίον, καὶ ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἰχνευταὶ πολλὰ περὶ Θεοπόμπου λέγεται. qui Pollio aequalis fuit Soteridae, patris Pamphilae[3]); atqui Pamphila Neronis

---

1) ceteras coniecturas quas viri docti ad hunc locum protulerunt singulas commemorare inutile est. id tantum moneo cavendum esse ne nimia ad eundem Pollionem referantur. hoc enim errore laborant ea quae H. Peter *Ueber einige Schriftsteller des Namens Pollio* in Fleckeis. annal. philol. CXIX (1879) p. 420 ss. disputavit.

2) Soteridas ipse aut filia eius scripsit ἐπιτομὴν τῶν Κτησίου ἐν βιβλίοις γ'. cf. Suidas v. Παμφίλη.

3) si apud Suidam in priore de Soterida glossa traditur Σωτηρίδας ἀνὴρ Παμφίλης, hoc merum calami vitium esse videtur. nam si ulla, haec glossa ex Aeli Dionysi Halicarnassensis musica historia fluxit, ex eodem igitur fonte quo ea quae v. Παμφίλη traduntur (cf. O. Schnei-

temporibus floruit; igitur Soteridas pater circa Tiberi aetatem; quo fit ut maxime probabile, ne dicam certum sit Pollionem hunc cuius apud Porphyrium mentio fit, eundem esse quem Apollonides Cepheus commemoravit.

haec sunt quae de Pollione nostro scimus, pauca ea quidem, sed tamen memorabilia, cum inde eum noverimus qui Euripideas epistulas subdidit. atque harum epistularum aetas eo quod in vita Aratea pauca illa ex Apollonide servata sunt stabilita est. maxime probabile videtur eas exortas esse Augusti Tiberive aetate, ultra quam progrediamur non necesse est.

---

venio nunc ad Diogenis Cynici epistulas de quibus solus Boissonadius in *notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque du roi* X, 2, 122 ss. disseruit. ille autem singulas res commemoravit quibus spurias eas esse probatur, ita ut hac de quaestione verba facere supersedeam, atque etiam de temporibus quibus re vera eae exortae sint paucis verbis egit. sed priusquam de hac re quaeramus primum ea de re agendum erit, num ab uno hae epistulae conscriptae sint. Bernaysius enim cum epistulas Heracliteas tractaret eo deductus est ut statueret non ab uno eodemque omnes illas profectas esse singulosque scriptores scribendi genere modoque distinxit. quod idem in his epistulis facere dubito, quandoquidem oblivisci non debemus a rhetore aliove id genus homine has epistulas conscriptas esse; potuit igitur fieri ut

---

deri Callimachea II, 31). ex illis autem discimus Soteridam patrem Pamphilae, maritum Socratidem fuisse. sequitur ut priore de Soterida loco aut lemma corruptum sit aut ἀνήρ mutandum in πατήρ; posterius hoc iam Fabricius bibl. Gr. VI, 379 not. (ed. Harl.) proposuit, quem Bernhardyus et C. Muellerus secuti sunt. — ex iis quae Daubius de hac Suidae glossa scripsit in Mus. Rh. XXXV (1880) p. 58 ss. (cf. idem 'de Suidae biograph. orig. et fide' in Fleckeiseni annal. philol. suppl. XI (1880) p. 410 not. 10) nihil potui discere, quoniam ille mira utitur argumentatione.

una aliave epistula sermonis bonitate discreparet a ceteris ab eodem scriptis. atque etiam ex iis locis qui paullulum inter se pugnant eius potius rei argumentum repetam, quod epistulae alicui debentur qui ut actor qui personam alicuius gerit Diogenis partes suscipit neque semper meminit eius sententias sibi proferendas esse. quod ad illustrandum paucos locos afferre iuvabit. atque primum in epistula XXVIII, 7 Diogenes ille personatus medicos increpat vehementissime, quod non solum a Diogenis ipsius more abhorret [1]), sed etiam cum iis verbis quae in alia epistula nobis occurrunt pugnare videtur. legitur autem in epistula XL, 1: σκόπει οὖν ἀνθ' ὧν νῦν ἐγχειρεῖς οὐδὲν εἰδὼς ποιεῖν ἐπιτρέψαι τινὶ σαυτὸν ἀνθρώπῳ, ὅστις σε, ὥσπερ ἰατρὸς νοσοῦντα ἐκθεραπεύσαι ἄν, ἀπαλλάξει [2]) τῆς νῦν πολλῆς καὶ κακῆς δόξης, quod qui scribit medicos non habebit carnifices publicos ut in ep. XXVIII, 7: σπαταλῶσι δ' ὑμῖν — ἔρχονται οἱ κοινοὶ δήμιοι οὓς ὑμεῖς καλεῖτε ἰατρούς, οἷς ἃ ἂν ἐπὶ τὴν γαστέρα ἐπέλθῃ, ταῦτα λέγουσι καὶ πράττουσιν. — in tricensima epistula quam ad Hicetam patrem misit Diogenes Athenas se venisse ibique se contulisse ad Antisthenem narrat, quippe qui doceret quemadmodum ad felicitatem homines possent pervenire. duas autem eum dixisse vias illuc ducere et longam alteram quidem, alteram brevem. longiorem vero illam esse planam et facilem, breviorem hanc abruptam et difficilem, quam qui sibi elegisset ornari oportere pallio mantica baculo. quanto haec doctrina distat ab ea quae inest in ep. XXXVII! nam Antisthenes cum duas vias ad felicitatem ducere illic doceat, hoc loco una via ad felicem beatamque vitam homines pervenire tradit eaque praecipite et aspera quam Diogenes in tricensima epistula sibi elegerat. accedunt tertio loco epistulae tertia et decima septima. priore illa Diogenes Hipparchiam monet ut saepe ad se ipsum lit-

---

1) cf. Bernays *Lucian und die Kyniker* p. 95.

2) εκθεραπεῦσαι (sic spiritu omisso) ἂν ἀπαλλάξῃ in codicibus. correxit Usenerus. Hercherus coniecit ἐκθεραπεύσας ἀπαλλάξει.

teras det — δύνανται γὰρ αἱ ἐπιστολαὶ πολλὰ καὶ οὐχ ἥττονα τῆς πρὸς παρόντας διαλέξεως —; ad Antalcidem scribit haec: διὰ γραμμάτων δὲ ὑπολαμβάνεις ἡμᾶς πείσειν, ἃ μνήμας μὲν ἂν σῴζοι τῶν οὐκ ὄντων, ἀρετῆς δὲ ζώντων καὶ οὐ παρόντων οὐκ ἂν εἴη δηλωτικά. apparet inter singulas has epistulas aliquid interesse: sed hae discrepantiae non tantae sunt ut sequatur epistulas non posse eidem rhetori deberi. restat quartus locus quo de difficile est iudicare. duodecima enim epistula Diogenes Metrocli exponit plerosque quidem homines studere brevi via ad beatitudinem pervenire, cum vero difficultatem itineris viderint inde recedere. adhortatur igitur eum hoc modo: σὺ δὲ ἐπίμενε ἐν τῇ ἀσκήσει ὥσπερ ἤρξω καὶ σπούδαζε κατ' ἴσον ἡδονῇ ἀντιτάττεσθαι καὶ πόνῳ, ἐπεὶ καὶ κατ' ἴσον ἀμφότερα πολεμεῖν ἡμῖν πέφυκε καὶ εἰς τὰ πρῶτα ἐμποδίζειν, ἡ μὲν διὰ τὸ ἐπὶ τὰ αἰσχρὰ ἄγειν, ὁ δὲ διὰ τὸ ἀπὸ τῶν καλῶν ἀπάγειν τῷ φόβῳ. miramur quod Diogenes Metroclem monet ut resistat voluptati aeque ac labori, cum Cynicos notum sit adamasse laborem quippe quem bonum esse arbitrarentur (cf. Diog. Laert. VI, 2 ὁ πόνος ἀγαθόν; Teles apud Stob. flor. I, 124 Mein.; Musonius apud Stob. flor. II, 15. 9 ss.), quae sententia etiam in Cynicorum quae feruntur epistulis passim inest. inde factum est ut cogitarem num corrupta esset vox πόνος; sed ipse hoc abieci; saepe enim ἡδονὴ et πόνος coniunguntur aut opponuntur ut Cratet. ep. XIX et XXXIV, 4. quo autem modo praeceptum quod in hac Diogenis epistula docetur intellegendum est? Crates enim epistularum priore quem attuli loco tradit Diogenem per totam vitam fuisse κρείττω καὶ πόνου καὶ ἡδονῆς; igitur illud ἡδονῇ ἀντιτάττεσθαι καὶ πόνῳ sic interpretandum est ut hominem repugnare oporteat cum voluptati tum labori nec is etsi quid cesserit iis succumbere debeat. quo fit ut homo qui operosa suscipit ea faciat quasi non ἀσκήματα, sed ἡδοναὶ sint (cf. Diog. ep. XXXVII, 6). sic recte hunc locum explicabimus.

redeamus nunc eo unde digressi sumus, ut qua aetate

epistulae Diogeneae scriptae sint eruamus. in epistula enim tricensima una pancration puerorum commemoratur quod scimus institutum esse Ol. CXLV[1]) i. e. anno a. Chr. n. 200. sequitur ut haec epistula post illam Olympiadem scripta sit. huc usque Boissonadius loco supra allato rectissime disputat; ea vero quae in eius commentatione secuntur mihi non probantur. mentio enim fit epistularum Diogenearum apud Diogenem Laertium IV, 80, in catalogo librorum Diogenis. ubi quae commemorantur epistulae non dubium est quin eaedem sint quas nos habemus. exeunte autem illa Laerti paragrapho ii Cynici nostri libri enarrantur, quos Sotio genuinos habet, atque in hoc catalogo epistulae agmen claudunt. Boissonadius igitur cum constet Sotionem floruisse Ptolemaeo Epiphane regnante (204—181)[2]) concludit has epistulas vivo ipso illo grammatico conscriptas esse. ʿ*On peut supposer*ʾ, ait p. 218, ʿ*que l'auteur a écrit dix ans après*ʾ (sc. post 200), ʿ*en 190; car il faut au moins ce temps pour que le pancrace des enfans ne fût plus regardé comme une nouveauté, et pour qu' un écrivain ignorant pût croire que l'établissement en étoit fort ancien*ʾ. quibus verbis non adstipulor. nam quomodo factum esse putas ut in epistula paullo post a. 200 exorta commemoraretur pancratium puerorum ut anticum certamen? nonne omnes illa aetate sciebant ipsis vivis illud institutum esse[3])? nemo igitur hoc commemoravisset in epistulis quas Diogeni subderet. si vero auctor ipse homo stultissimus fuit, num tu ullum censes hunc errorem non detecturum fuisse?

---

1) Paus. V, 8: πέμπτῃ δὲ ἐπὶ ταῖς τεσσαράκοντα καὶ ἑκατὸν (nimirum Olympiadibus) ἆθλα ἐτέθη παγκρατίου παισίν. cf. C. Fr. Hermann *Lehrb. d. griech. Antiquitäten* II², 324 not. 6.

2) hoc apud Boissonadium. vixit Sotio procul dubio vel post Ptolemaeum Epiphanem (cf. Panzerbieter in Jahni annal. philol. suppl. V (1837) p. 211 ss.), sed id in hac quaestione quam nos instituimus, nullius momenti est.

3) auctor illius epistulae plane ignorasse videtur quodam tempore puerorum pancratium Olympiae non fuisse.

atque si ceteri illud non animadvertissent, num hoc Sotionem siquidem legerat fugiturum fuisse arbitraris? adeo neglegentem me iudice non debemus fingere talem historicum. quamobrem nihil video restare nisi hoc, ut statuamus catalogo librorum Diogeneorum qui Sotioni probati sunt posterioribus temporibus illud ἐπιστολὰς additum esse [1]).

Boissonadium refutavimus [2]). age nunc ipsi epistularum

---

1) non unum hoc additum est: fortasse etiam id quod praecedit Χρείας. nam vix mihi possum persuadere iam Sotionem has Χρείας inter ipsius Diogenis libros rettulisse.

2) alia argumenta licet repetere e verborum copia quibus Diogenes personatus utitur. permulta enim in his epistulis occurrunt quae ante aetatem imperatoriam non facile reperiuntur. addam igitur ad hanc sententiam probandam pauca eo modo ut ad singula vocabula priores locos quibus voces illae reperiantur afferam.

ἀηδίζομαι ep. 39, 2. Alex. Aphrod. probl. II, 15. activum Schol. Aristoph. Plut. 313.

ἀλληλοκτονία 39, 4. Dion. Hal. a. R. I, 87.

ἀνατίθημι εἴς τινα 7, 1. Plut. moral. 817c. App. Syr. 29.

ἀποπλήρωσις 42. Plut. vit. 125 f. moral. 48c. 132a. 1125a.

διαβάλλω εἴς τι (propter aliquid) 12. Plut. vit. 160d. mor. 89e.

διακόνημα pl. = utensilia ad supellectilem pertinentia 37, 3. Posidon. ap. Athen. VI, 274b.

δυσάνοικτος 50. Ioann. Clim. (Patrol. Graec. LXXXVIII) 937c.

ἐκτινάσσω 37, 5. Act. apost. 18, 6. 13, 51.

ἔντευξις 44 (de coitu). Plut. moral. 139e. 655b.

ἐπιπωλέομαι 34, 1. post Homerum apud Them. orat. VI, 75c. XI, 152b.

ἐπιτρέπω τινὰ τὸ ποιεῖν τι 29, 1. Mus. Ruf. ap. Stob. flor. II, 11 M. πάνυ τι δυνάμενον ἐπιτρέπειν ἡμᾶς φιλοπόνους εἶναι. Athen. XIII, 565e τούτους πρωτοφορεῖν ἐπιτρέπουσιν.

ἐπιφορτίζω 47. Ioseph. c. Ap. II, 9.

ἐρεσχελέω πρός τινα 8.

ἰσχυροποιέω 28, 6. argumentis confirmare Polyb. XXXVIII, 20(17), 7. corroborare Diod. XIV, 9. XVII, 65.

καταμωκάω 28, 2. nusquam nisi apud Hesychium activum reperitur. med. Phil. II, 567, 3 Mang. Arr. Epict. Ench. 22. Ecclesiast. 13, 7.

aetatem angustioribus terminis circumscribamus. atque origo earum ab historia Cynicorum separari nequit. notum enim est e Cynicorum secta prodiisse Stoicos, cum Zeno Diogenis discipulus cum ethica coniungeret logices et physices studia. posterioribus vero temporibus postquam philosophia Stoica usque ad singulas partes accurate exculta est, ad Cynicorum praecepta philosophi magis magisque recedebant [1]). eadem autem rerum condicio quae fuerat Diogenis Cynici aetate postremis reipublicae et primis imperii temporibus redibat: mores corrupti erant nimia luxuria, civitatis libertas perierat, cives a rebus publicis gerendis ad vitam privatam confugerant, optimus quisque taedio affectus voluptatum beatus fieri studebat rebus non appetendis fruendisque sed abstinendis. hac

---

καταναλίσκω vincere 35, 2.

μέμφομαί τινά τινος 38, 5. Plut. vit. 555 e. — ἐπί τινι 38, 5.

μεταίτης 33, 2. Luc. Menipp. 15.

μεταμορφόω 34, 2. Phil. II, 89, 40 M. sed hoc vocabulum multo vetustius est propter μεταμορφώσεων genus poeticum.

παράστημα 33, 4. Dion. Hal. de admir. vi Demosth. 22. περὶ ὕψους 9, 1. Diod. XVII, 10.

παρεκβαίνω τινί 28, 8.

πονηροκρατία 39. 2. Dion. Hal. a. R. VIII, 5.

προσκαταλύω 29, 3. Dio Cass. XLVII, 32.

πυξίς 50. Ioseph. bell. Iud. I, 30, 7. A. Iud. XVII, 4, 2.

συμφοράζω doleo 39, 1. Schol. Soph. Ant. 528. συμφοράω Iesai. 13, 8. συμφορᾷ χρῆσθαι Crat. ep. 26. 34.

σύμφορος similis 39, 4.

σχολάζω scholam habere 30, 1. 32, 1. Dion. Hal. ep. I ad Amm. 5.

ὑλίζω 49. Plut. moral. 897 a.

non multa inde licet concludere, id vero pro certo potest confirmari in his epistulis si essent scriptae ineunte altero a. Chr. n. saeculo non fore ut tot verba inessent quae posteriore demum aetate reperiuntur. similiter in ceteris quas tractabo epistulis multae voces posterioris vel postremae graecitatis insunt.

1) cf. Zeller *Phil. d. Griech.* III, 1³, 764; adde etiam p. 680. 695. 735.

igitur aetate denuo Cynici nobis occurrunt: Demetrium commemoro Isidorum Diogenem Heram, qui inde a Neronis regno florebant: sed vel multo antea vestigia cernuntur quibus Cynismum revirescere elucet. recte enim Zellerus [1]) mihi monuisse videtur Ciceronem, cum in universum de Cynicis verba faciat quasi sua ipsius aetate nondum fuerint, tamen de off. I, 148: '*Cynicorum vero ratio tota est eicienda; est enim inimica verecundiae sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum*' ad aequalem quendam spectare qui Cynismum laudibus celebrasset; nam iam antea [2]) scripsit Varro satiras '*quas alii cynicas, ipse appellat Menippeas*' [3]). tunc igitur libris hoc modo scriptis pedetemptim factum est, ut homines ad Cynicorum philosophiam se applicarent. atque hoc aevo Diogenis epistulae subditae esse videntur: id enim omnem excedit dubitationem quin hae consutae sint eo consilio ut philosophia Cynicorum commendaretur et divolgaretur. confirmatur autem id quod de tempore statui epistula undevicensima quae ad Anaxilaum quendam missa est [4]). in hac enim Diogenes ludit Pythagoram quippe qui iam antea se Euphorbi persona inter vivos fuisse contenderit. se ipsum olim Agamemnonem fuisse; baculum suum pro sceptro, duplex pallium pro chlamyde, manticam pro clipeo esse. quod si ipse calvos sit, id non mirum esse, cum Agamemno iuvenis fuerit, qui senex factus sine dubio comam amisisset. dein Diogenes finem facit epistulae his verbis: τοιαῦτα γὰρ ἄξιον καὶ φρονεῖν καὶ λέγειν πρὸς τὸν αὐτὸς ἔφα λέγοντα. postrema haec verba ad Anaxilaum spectant, ita ut dubium non sit quin Pythagoreus is fuerit. novimus autem Anaxilaum

---

1) ibid. p. 764 not. 1.

2) Ciceronis de officiis libri anno 44 scripti sunt. Varronem autem Cicero Acad. post. I, 8 anno 45 dicentem facit saturas Menippeas vetera sua esse; Tricaranum ille scripsit a. 60.

3) Gell. noct. Att. II, 18; cf. Buecheleri Petron.[3] p. 162.

4) de titulo huius epistulae restituendo vide infra p. 48 not. 2.

quendam Larissaeum qui Pythagoreorum disciplinam professus est. anno a. Chr. n. 28 ab Augusto ille urbe et Italia cedere iussus est [1]). apparet igitur hanc epistulam Augusto imperatore scriptam esse, cum propter postrema verba vivo Anaxilao in lucem prodiisse videatur aut certe non multo post. sequitur ceteras quoque epistulas hac aetate conscriptas esse: nam etsi non uni eidemque debeantur, tamen vix probabile est magno temporis intervallo eas distare [2]).

denique singula addam quae in his epistulis congruunt cum iis quae apud alios scriptores reperiuntur. nolo autem iterare quae Bernaysius *Lucian und die Kyniker* p. 96 ss. congessit; relego igitur ad eum. ea vero quae ipse collegi quamvis pauca, tamen idonea videntur ad illustrandam aetatem qua epistulae in lucem prodiere. ac primum quidem ὑπὸ τὸν Δία bis legitur (ep. VII. XXXIV, 3), quod praeter hos locos apud scriptores Graecos non invenitur; a Romanis autem desumptum videtur ita ut translatio sit verborum 'sub Iove', quae extant Hor. carm. I, 1, 25. Ovid. fast. II, 299. III, 527. metamorph. IV, 260. Iuv. V, 79. deinde quae leguntur ep. XL, 2: ἔτι δὲ τὸ κρατεῖν καὶ τὸ ὑφ' ἑαυτῷ ἔχειν τινὰς οὐ τοιοῦτόν ἐστιν, οἷον μετὰ τῶν κακίστων ἀνθρώπων ἄγειν καὶ φέρειν ἀεὶ τοὺς παρατυγχάνοντας. τοῦτο γὰρ οὐδὲ τῶν θηρίων τὰ βέλτιστα ποιεῖ, ἀλλ' οὐδὲ οἱ

---

1) cf. Euseb. ap. Hieron. a. 1992 (II p. 141 Schoene). plura de hoc Anaxilao vide apud Bruckerum in hist. crit. philosoph. II p. 86.

2) cetera nomina propria non faciunt ad aetatem epistularum indagandam. plurima enim aut ex aetate Diogenis desumpta sunt aut ad certum quendam virum referri nequeunt. dubitare licet de paucis num ad aequalem Augusteae aetatis referenda sint: de Menodoro (ep. XVIII) et de Sopolide (ep. XXXV). prior fuit Sexti Pompei libertus qui ex historia bellorum civilium notus est (in epistula quidem Menodorus philosophus dicitur, quod contra hunc libertum facit; sed etiamsi hoc ita est, nomen tamen potuit a liberto Pompei repeti), alter fuit pictor illa aetate (Cic. ad Att. IV, 16, 12). pro certo hac de re nihil affirmaverim.

λύκοι, ὧν ζῷον οὐδέν ἐστιν πονηρότερον οὐδὲ κακουργότερον, οὓς σύ μοι δοκεῖς ὑπερβεβλῆσθαι ἀμαθίᾳ. tritum est primo saeculo ante et post Chr. n. hoc simile in quo inest homines vel bestias ferocia superare imprimis lupos. cf. Hor. epod. VII, 11. Cic. Tusc. V, 38. Senec. ep. XCV, 31. Iuv. XV, 159 ss. Heracl. ep. VII, 7. IX, 4. Plin. n. h. VII, 1. tum in ep. XXVIII, 7 haec sunt: ἔρχονται οἱ κοινοὶ δήμιοι οὓς ὑμεῖς καλεῖτε ἰατρούς, οἷς ἃ ἂν ἐπὶ τὴν γαστέρα ἐπέλθῃ, ταῦτα λέγουσι καὶ πράττουσιν. non ipse scriptor huius epistulae illud ἐπὶ τὴν γαστέρα ἐλθεῖν pro εἰς τὸν νοῦν ἐλθεῖν invenisse, sed e Cynicorum Stoicorumve litteris quae ad populum edocendum scriptae erant aut e poesi satirica deprompsisse videtur; quod Persi satura IV, 48 ss. probatur, ubi simillime legitur:

'si facis in penem quidquid tibi venit', — —
'nequiquam populo bibulas donaveris aures' [1]).

cum iis quae secuntur in illa epistula: κἂν ὑγιασθῆτε, οὐδὲ τοῖς καλουμένοις ἰατροῖς χάριν ἔχετε, ἀλλὰ τοῖς θεοῖς φατε δεῖν ἔχειν χάριν· ἐὰν δὲ μὴ, τοῖς ἰατροῖς ἐγκαλεῖτε, coniungenda sunt Hipp. ep. XVII, 54: οἵ τε γὰρ νοσέοντες ἅμα τῷ σώζεσθαι τὴν αἰτίην ἢ θεοῖσιν ἢ τύχῃ προσνέμουσι, (55) πολλοί τε τῇ φύσει προσάψαντες ἐχθαίρουσι τὸν εὐεργετήσαντα, μικροῦ δεῖν προσαγανακτεῦντες, εἰ νομίζονται χρεωφελέται et XX, 1: ἰητρικῆς τέχνης — — κατορθώματα μὲν οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων οὐ παντάπασιν ἐπαινέουσι, θεοῖσι δὲ πολλάκις προσαρτῶσιν· ἢν δέ τι ἡ φύσις ἀντιπρήξασα ἀπολέσῃ τὸν θεραπευόμενον, τὸν ἰητρὸν καταμέμφονται παρέντες τὸ θεῖον [2]).

---

1) noli putare Persium et ceteros auctores ex epistulis hausisse aut epistularum scriptorem ex illis. id tantum probatur hos locos eodem saeculo exortos esse, quo ineunte Horatius, exeunte Persius Iuvenalis fuerunt.

2) de gnomologiis quibus epistularum Diogenearum scriptor usus sit alio loco disseram.

transeamus nunc ad Cratetis epistulas. Boissonadius autem in commentatione quam de Diogeneis epistulis scripsit Cratetis epistulas ab eodem fictas esse statuit[1]), qui illas Diogeni subdidit, quoniam quod Diog. ep. XXX, 2 legitur διὰ πυρὸς ἢ ξιφῶν βαδίζειν repetitur Crat. ep. VI. postea vero ille cum Cratetis epistulas tractaret in *notices et extraits* XI (1827), 2, 1—46 huic rei nihil tribuit, sed id tantum se affirmare dicit (l. l. p. 14, cf. p. 12) epistulam Cratetis octavam et Diogeneam nonam eidem auctori deberi. tamen cum hoc tum illud a Boissonadio recte observatum videtur, ita ut quattuor illae quas attuli epistulae ab eodem scriptore[2]) profectae sint. quod qui non probat id tamen concedet Cratetis illas epistulas ab homine quodam suppositas esse qui Diogenis personati epistulas et nosset et imitaretur. ceterae vero Cratetis epistulae praeter unam non est cur a duabus quas commemoravi separentur[3]): verum etiam unam illam eadem fere

---

1) *notices et extraits* X, 2, 193.

2) quod quidem de Alciphrone fabulatus est, non necesse est data opera refutetur, cum et per se cadat et eorum auxilio quae ipse de epistularum aetate egerim.

3) adnotabo hoc loco memorabilia pauca quae e sermone petita sunt, ut inde probetur has epistulas eiusdem auctoris esse. epistula enim Cratetea septima ab his verbis incipit: ἀπάγξασθε ὅτι θέρμους καὶ ἰσχάδας καὶ ὕδωρ ἔχοντες καὶ ἐξωμίδας Μεγαρικὰς πλεῖτε καὶ πολλὰ γεωργεῖτε καὶ προδίδοτε καὶ τυραννεῖτε e. q. s.; Diog. autem ep. XXVIII, 6 haec extant: ἀλλ' εἰ νοῦν ἔχετε, — — — ἡβηδὸν σύμπαντες ἢ σωφρονεῖν μάθετε ἢ ἀπάγξασθε (cf. Bernays *Lucian u. d. Kyn.* p. 97. *Heraklit. Briefe* p. 19) unde non Heraclitum solum, sed etiam Cynicos sic locutos esse intellegas (cf. Krische *Forschungen* p. 240). — accedit quod pronomina ὅπου et ὅποι similia inter se confunduntur. Diog. ep. XXXVIII, 4 traditur: ὡς μηδὲ ὅπου πτύσῃ τις τόπον εἶναι et § 5 ἐπεὶ ὅπου πτύσαιμι τόπον οὐκ εἶχον. Hercherus quidem mutandum proposuit ὅπου in ὅποι, quae corruptela vel ea de causa mira est quod bis in eadem epistula extat. refutatur autem illa coniectura iis quae in ep. XLIV traduntur: ἐπιμέλου οὖν καὶ ταύτης ἔνθα ἂν ἐπείγῃς 'quocunque tendis'. apud Cratetem vero in ep. XX

aetate qua Diogenis epistulas exortam esse certis argumentis demonstratur. epistula enim tricensima quinta ad quem missa sit editores non intellexerunt. sic autem ea inscribitur Ἀπερει (sic) εὖ πράττειν et in ipsa epistula legitur ὦ τιμιώτατε ἄπερ, quod Boissonadius mutavit in ὦ τιμιώτατε ἄνερ; praeterea adnotat ad hunc locum: '*ce mot* ἄπερ *a produit le dativ* Ἀπέρει *du titre*'. sed apparet, opinor, ἄπερ nihil esse nisi nomen proprium Romanum Ἄπερ, cuius dativus in Ἀπερει illo latet: nam Ἄπερι corrigendum est. Romana enim nomina propria quae in *-er* terminantur et alteri declinationi subiecta sunt, in Graeco sermone cum alterius tum tertiae declinationis terminationes habent. quod ut probarem e CIG haec exempla mihi enotavi [1]):

1999 Μακεδόνων οἱ σύνεδροι Μαρκ. Ἀκυλίαν Φαβρικιανοῦ Ἄπερος θυγατέρ[α], ἀνδρὸς ἀγαθοῦ.

1778 Φῶτα θεοῖς ἵκελον, στυγερῶν ἰήτορα νούσων,
μοίρῃ ὑπ' ἀστρέπτῳ Κίμβερα τύμβος ἔχει.

3818 ΠΑΙΛΙΟΝ ΚΛΑ|ΛΙΑΝΟΝ ΝΙΓΕΡΑ i. e. Π. Αἴλιον Κλα(υ)διανὸν Νίγερα.

praeter hos titulos e litteris certa exempla afferre non possum praeter unum locum Suidae qui s. v. Ἀδριανὸς σοφιστής commemorat παραμυθητικὸν εἰς Κέλερα [2]). — postquam eruimus ad quem Cratetis epistula illa missa sit, nunc memineris quaeso quae Hesychius apud Suidam s. v. Ἡρακλείδης Ποντικός (γραμματικός) tradit [3]). unde comperimus Heraclidem

---

idem occurrit: εἴποντο ὅπου ἂν βαδίζοιμι, similiter ep. XII: πέμπε (liberos tuos) μὴ εἰς ἀγρόν, ἀλλ' εἰς φιλοσόφου, ἵνα καὶ αὐτοὶ βαδίζοντες τὰ καλὰ ἐμάθομεν.

1) quorum duo iam a Meinekio Anal. Alex. p. 377 not. 1 allata esse video. praeterea ille monet apud scriptores Graecos extare cum Ἴνσουβρες tum Ἴνσουβροι.

2) alterum exemplum accedet in nota sequente.

3) Ἡρακλείδης Ποντικός, ἀπὸ Ἡρακλείας τῆς Πόντου, γραμματικός, ὅστις Διδύμῳ τῷ πάνυ κατὰ τὴν Ἀλεξανδρέων ἐφοίτησεν. οὗτος ἐπειδὴ ἤκουσεν Ἄπερος τοῦ Ἀριστάρχου μαθητοῦ εὐδοκιμοῦν-

grammaticum Romam venisse, cum ibi doceret Aper grammaticus Aristarcheus, qui praeter hunc locum in litteris non commemorari videtur, sed quibus temporibus vixerit licet statuere. Heraclides enim postquam Aprum loco suo demovit, Romae scholas habebat Claudi et Neronis temporibus. Aper igitur qui procul dubio maior natu fuit quam ille, Tiberi aetate potest floruisse. accedit quod Didymum in scholis carpserat, quem Augusti aetate floruisse scimus. unde probabile fit Aprum iam Augusto imperatore doctrina sua notum fuisse. ad hunc grammaticum Crateteam epistulam tricensimam quintam spectare conicio: necesse enim est eum cui epistula missa est hominem non ignotum esse. si vero exeunte epistula τὰ τῶν τραγῳδῶν commemorantur, quibus Aper operam dederit, Usenerus hoc eo interpretatur quod ille τοῖς ἀμφὶ τὸν Διόνυσον τεχνίταις Romae praefuerit; idem hoc traditur de Euodiano Smyrnaeo qui Hadriani aetate in urbe eloquentiam profitebatur (cf. Philostr. v. soph. II, 16 p. 596. Welcker *die Griechischen Tragödien* p. 1326 sqq.). eadem igitur aetate qua ceterae Cratetis epistulae haec quoque scripta est; sed tamen cum illis non coniungi debet. Usenerus enim me monuit eam non videri eo consilio scriptam ut veteri Crateti subiceretur (cf. ἐμοῦ μὲν καταγίνωσκε, πρόσεχε δὲ τοῖς

τος κατὰ τὴν Ῥώμην πολλά τε (volg. πολλούς τε AE. πολλούς τε ἄλλους καὶ Bernhardy) τὸν Δίδυμον διασύροντος ἔγραψε μέτρῳ Σαπφικῷ ἤτοι Φαλαικείῳ βιβλία γ' δυσερμήνευτα καὶ πολλὴν τὴν ἀπορίαν ἔχοντα προβαλλομένων ζητημάτων, ἅτινα Λέσχας ἐκάλεσεν, εἰς Ῥώμην δὲ κομίσας καὶ τοῦ Ἄπερος καταφανεὶς (καταφεὶς Usener: 'Leschas enim carmen contumeliosum Romam attulit et in Heraclidem quasi telum coniecit'. κρείττων φανεὶς A. Schaefer mus. Rh. XVII 584 not. 24) κατέμεινε σχολαρχῶν ἐν αὐτῇ ἐπί Κλαυδίου καὶ Νέρωνος. ἔγραψε δὲ καὶ ποιήματα ἐπικὰ πολλά. de nomine non licet dubitare, bis enim traditur Ἄπερως quod nihil potest esse nisi genetivus Ἄπερος. de graviore autem corruptela (cf. Daub *Studien zu den Biographika des Suidas* p. 93. M. Hertz mus. Rhen. XVII, 580 sqq.) non fas est cogitare, cum eodem loco bis illud nomen plane eodem modo traditum sit.

ἀρχαίοις h. e., ut extrema epistula indicatur, Socrati et Diogeni), sed Cratetis cuiusdam esse qui Apri aequalis fuerit.

---

secuntur Chionis epistulae. quae cum ut Euripideae epistulae arcte inter se cohaereant ita ut ea quae Chioni acciderunt inde a patria relicta usque ad reditum eius caedemque tyranni Clearchi enarrentur, non dubium est quin ab uno omnes scriptae sint. ad has anno 1803 A. G. Hoffmannus prolegomena [1]) scripsit in quibus subditicias esse eas fusius probavit et de aetate qua re vera scriptae essent coniecturam fecit. ille enim suspicatus est a Platonico quodam saeculi p. Chr. n. quarti has epistulas suppositas esse, iis igitur temporibus quibus Platonis philosophia post diuturnum intervallum summa florebat auctoritate. quae Hoffmanni coniectura minime mihi probatur. ac primum quidem mores atque ingenium scriptoris harum epistularum qualia apparent in ep. tertia ad Platonicos illius aetatis non quadrant. illos enim a rebus gerendis recessisse constat, ut par est fecisse eos qui mysticen cum philosophia coniungerent, cum scriptor tertiae epistulae philosophiae operam daturus sit ut ad res gerendas aptus fiat. vel hoc solum patefacere videtur auctorem epistularum non fuisse inter Platonicos quarti saeculi, sed inter Stoicos quales fuerunt prima imperatorum aetate vel inter eos qui cum Stoicis illorum temporum coniuncti erant [2]). deinde con-

---

1) publici iuris ea facta sunt comment. societat. philol. Lips. III, 234 ss., repetita in Memnonis histor. excerpt. ed. Io. Conr. Orelli p. 128 ss.

2) epistulas non ante primum ante Chr. n. saeculum compositas esse elucet ex ep. XIII. ubi cum ὥρα = hora (i. e. diei pars vicensima quarta) commemoretur, quam notionem vix ante posteriorem partem alterius a. Chr. n. saeculi reperiri constat (cf. Ideler *Handb. der Chronol.* I, 239), non veri simile est has epistulas ante finem eius saeculi scriptas esse: auctor enim hanc rem ut notissimam memorat. accedit aliud quo etiam magis ad aevum imperatorium deducimur. Cotyn qui Chionem Clearchi iussu interficere conatus est epistulae

silium quod in his epistulis inest eodem spectat. Chio enim ea re apud antiquos enotuit quod Clearchum Heracleae Ponticae tyrannum interfecerat. atque hoc maxime facinus celebratur in posterioribus epistulis, cum quae in prioribus narrantur ea de causa afferantur ut quis fuerit ille Chio noverimus. imprimis autem eam ob rem epistulae quae ad Clearchi caedem spectant memorabiles sunt quia apertissime in iis docetur fas esse tyrannos interfici. atque etiam id dignum est quod observetur qua ratione ille Chio Clearchi necem machinatus sit. neque dolo neque mendacio parcit, omnibus utitur auxiliis ut ad finem suum perveniat. plane indignamur si in ep. XIII, 3 ad patrem haec scribit: ὅπως δέ τι καὶ ὑπὲρ τῆς πατρίδος πολιτευώμεθα, πεῖθε τὸν Κλέαρχον, ὅτι φιλοσοφήσαντες ἡσυχίας γλιχόμεθα καὶ τελέως ἀπολίτευτοι τὰς ψυχάς ἐσμεν· ταῦτα δὲ καὶ διὰ Νύμφιδος πεῖθε αὐτόν, ὃς ἡμῖν μὲν φίλος, ἐκείνῳ δὲ καὶ συγγενής ἐστιν· οὕτως γὰρ ἂν πορρωτάτω πάσης ὑποψίας ἀπάγοιτο. cf. XIV, 5 fin. XV, 1. maxime autem notanda est tota epistula decima sexta a Chione ad Clearchum missa, in qua is id agit ut Clearcho ipsi quam ceperat suspicionem evellat. quis censebit haec unquam scripta esse nisi iis temporibus quibus tyranni fuerunt contra quos magna civium pars pugnarent? iure igitur de primo Caesarum aevo cogitamus, cum posteriore aetate ut altero post Chr. n. saeculo vix quisquam hac acerbitate quae in epistulis apparet scripsisse putandus sit. Stoicos autem scimus tunc stetisse a parte eorum qui imperatoribus adversarentur[1]); a Stoico quodam has epistulas profectas esse

---

tradunt ad στρατηγοὺς ductum esse ut poenas daret. quod a more Atheniensium plane abhorrere Hoffmannus recte monuit. qua re e more Romanorum hic locus interpretandus est ita ut στρατηγοὶ praetores vel propraetores sint qui provinciis praeerant ibique ius dicere solebant. cf. Act. Apost. 16, 20. Meier-Schoemann *Att. Process* p. 104 ss. Mommsen *Röm. Staatsr.* II, 1², 230 ss.

1) optime hac de re egit Friedlaender *Sittengesch.* III, 552 ss.

conicio [1]). cum Stoicorum vero doctrina omnia quae in his epistulis ad philosophiam spectant optime concinunt. nam mendacium quo Chio saepissime utitur contra Clearchum, a Stoicis admissum esse inter omnes constat (cf. Zeller *Philos. d. Griech.* III, 1³, 278). cum in ep. XVI, 8 legis: ἐμοὶ (sc. τῇ Ἡσυχίᾳ) χρώμενος δικαιοσύνην ἤσκησας καὶ σωφροσύνην ἐκτήσω καὶ θεὸν ἔμαθες καὶ τὴν σεαυτοῦ πρὸς αὐτὸν συγγένειαν ἀνενεώσω, statim memineris Stoicos docuisse hominum cum dis affinitatem (cf. Zeller l. l. 200 ss. Bernays *Heraklit. Briefe* p. 39 et 136 ss.). atque etiam ea quae de divinatione in postrema epistula extant cum praeceptis Stoicorum congruunt. σημαίνει γάρ μοι, ait auctor noster (§ 2), καὶ ἱερὰ καὶ οἰωνίσματα καὶ πᾶσα ἁπλῶς μαντεία θάνατον κατορθώσαντι τὴν πρᾶξιν et paullo post in eadem paragrapho: νομίζω γὰρ μηδὲν κίβδηλον εἶναι ψυχῆς μάντευμα, ἐπεὶ καὶ σὺ οὕτως ἐγίνωσκες.

ex his quae exposui apparuisse puto Chionis epistulas primo imperatorum Romanorum saeculo scriptas esse [2]). non

---

1) e nominibus propriis nihil efficitur. sed de uno in adnotatione licebit pauca exponere. Archedemus enim astronomus commemoratur in epistula quarta. quis hic est? e Simplic. comm. ad Arist. de caelo libr. 229ᵇ 30 Karst. (schol. in Aristot. 505ᵃ 45) elucet Archedemum quendam docuisse non terram in medio mundo sitam esse, sed solem, qua ex doctrina Zellerus *Phil. d. G.* III, 1³, 45 n. 3 rectissime concludit hunc Archedemum non esse Stoicum illum qui Zenonem audivit et postea Babylone scholam Stoicam constituit. num temeritatis arguar si Simplici locum ad Archedemum astronomum refero cuius in hac epistula mentio fit? Heracleota autem Ponticus ille fuisse videtur ut Nymphis qui in ep. XIII nobis occurrit. vid. p. 23 n. 1.

2) in sermone insunt quae aliquam necessitatem inter Chionis et Cynicorum epistulas prodant. haec autem enotavi: Diog. XXX, 2 et Crat. VI quod legitur διὰ πυρὸς βαδίζειν paullo mutato occurrit Chion. ep. XVII, 1 (διὰ πυρὸς ἐλθεῖν). atque etiam id reperitur quod Diogenearum epistularum auctor adamasse videtur, nimirum ut καλῶς ποιῶν, εὖ ποιῶν in fine enuntiati ponat, quo vi quadam haec verba pronuntientur. ut Diog. ep. XXVIII, 2: οὐδὲν δὲ οἴδατε οὔθ' οἱ πρόγονοι

parvi igitur faciendae sunt, cum inde eluceat quid illa aetate imperatorum adversarii de caede tyranni cogitaverint et docuerint, cum vel id inde liceat concludere quomodo re vera contra imperatores pugnaverint [1]).

---

pergamus ad Bruti epistularum collectionem. atque in una re gravissima a ceteris haec discrepat quod praefatio praemittitur i. e. epistula Mithridatis regis ad Mithridatem consobrinum scripta in qua ille profitetur ad Bruti epistulas quas permagni semper fecerit responsa se conscripsisse, cum consobrinus dubitaverit quin id omnino possit fieri ut ad epistulas tantae praestantiae respondeatur. e titulo quidem huius epistulae non multum efficitur. nescimus enim quis Mithridates rex Bruti epistulas collegisse et responsa ad eas adiecisse putandus sit. cum vero Romani audirent nomen Mithridatis regis, unumquemque par est cogitasse de hoste illo acerbissimo populi Romani. quo fit ut maxime probabile sit ad eum rettulisse rhetorem posterioris aetatis eam epistu-

---

ὑμῶν οὔθ' ὑμεῖς, ἀλλὰ ὑπὸ ἀγνοίας καὶ ἀφροσύνης καταμωκώμενοι στρεβλοῦσθε καλῶς ποιοῦντες. cf. in eadem ep. § 6 et ep. XLVI. apud Chionem autem ep. XIII, 3 fin. haec: ἀπροκαλύπτως δέ σοι γράφομεν, ἐπεὶ καὶ πιστοῖς ἐπιτιθέμεθα ἀνδράσι τὰς ἐπιστολὰς καὶ Κλέαρχος, ὡς ἐδήλους καλῶς ποιῶν, περὶ γοῦν ταῦτα οὐ πολυπραγμονεῖ. quibus ex rebus id quidem concludere dubito ab eodem qui Cynicas scripserit Chioneas quoque epistulas suppositas esse, tamen id possum inde probare auctores non adeo discrepasse ingenio et scribendi ratione, atque id indagasse sufficiat in talibus rebus tractandis.

1) fortasse etiam de fonte quo epistularum auctor usus sit non improbabilia conieci. Nymphis enim in ep. XIII commemoratur, quem Heracleae Ponticae historiam scripsisse scimus. cf. Vossius de hist. Graec. p. 140 Westerm. Muelleri frgm. hist. Graec. III, 12 ss. cum Chione ille plane non cohaeret, quandoquidem multo post eius aetatem Ptolemaei Euergetis temporibus vixit. nonne ex huius historiis probabile est epistularum auctorem sua hausisse? ex Memnonis qui in historia sua Nymphide usus est libris nihil potui elicere.

larum collectionem quam ipse fecerat. hoc si recte se habet, veri simile est multo demum post Bruti mortem eum fuisse qui Brutianarum epistularum syllogen Mithridati subderet, cum primo saeculo post omnes ni fallor scirent illum ante Brutum vitae supremum diem obiisse. — e praefatione autem Mithridatis illius personati constat eas epistulas quae ad Brutum missae sunt fictas esse; id unum quaerendum est, num Bruti ipsius epistulae genuinae sint. quod non difficile est ad diiudicandum. perlegas quaeso ipse paucas epistulas, vide num hae ullo duce dignae sint qui in terram quandam bellum illaturus est. multa enim mihi non indigna solum, sed ridicula videntur. inspice modo eas epistulas quas Brutus ad Bithynos misit. in prima earum (LIX) exponit si multa exegerit tributa, hoc non mirum esse, cum multi labores ipsi una cum militibus perferendi sint, ut se sociosque ab hostium impetu tueatur. in altera (LXI) scribit Aquilam amicum se misisse ut quinquaginta naves rotundas et ducentas longas ab iis acciperet simulque commeatum quattuor mensium; praeterea ligna ad naves fabricandas necessaria esse nec opifices deesse debere; quae omnia se non dubitare quin Bithyni libenter Aquilae traditurí sint. quod cum non factum sit, Brutus in tertia epistula (LXIII) Bithynos admonet ut cum praesentibus tum posteris temporibus omnia quibus opus sit sponte sua praebeant. sed frustra hanc quoque epistulam scripsit. denuo igitur litteras Bithynis dat (LXV) quibus ostendat eos qui inviti inserviant alicui ex iis quae praebeant nullum fructum capturos, sed vel gratiam perdituros esse quam expectent. hoc ne iis contingat, Bithynos iubet naves commeatumque quam celerrime mittere. expectes Bithynos hoc fecisse: minime. sed Brutus iis nuntiat naves sibi non opus esse, cum a Macedonibus Lesbiis Phoenicibus eas acceperit; pecunias ad se mittendas esse. cui epistulae quid responderint Bithyni, huc non pertinet. perlegas quaeso has epistulas mente non occupata: vix fieri poterit ut has pro genuinis habeas. talia enim scribi in bello non mirum est,

sed quomodo haec scribuntur plane ridiculum. atque haec sunt specimina epistularum Brutianarum, ceterae non discrepant. Brutus in omnibus nihil facit nisi adhortatur cives Asiae ut in suam potestatem se conferant, admonet ut arma machinasque belli ad se mittant, ut semper persequantur officia, similia. talia maxime epistularum auctor adamasse videtur. deinde ex cunctis epistulis perpauca discimus de rerum statu qualis illa aetate in Asia fuerit, cum multa fore ut in iis epistulis insint speremus quas dux quidem in bello scripserit. tum est ubi inter se pugnent: ut ep. XXIX Brutus se audivisse scribit Coos naves apparare, quod cur faciant se nescire; in quinta autem decima ipse adhortatus est Coos ut naves aedificent, cum sine navibus e mari nullum fructum capere possint. quae quomodo concinant nescio, quoniam intra paucos menses omnes epistulas scriptas esse necesse est. atque etiam epp. XXXVII et XXXIX inter se pugnant. adhortatus enim erat Brutus Cyzicenos ut arma quae Bithynia paraverat usque ad Hellespontum mitterent. cui iusso cum obsecuti fuerint, Proconneso eos donat una cum lapicidinis quae in ea sunt. haec in priore epistula. plane aliam vero condicionem rerum in posteriore reperimus. unde discimus ad Brutum cum in bellum esset iturus, Cyzicenorum legatos venisse nuntiatum cives suos non in eo esse ut Bruto auxilium ferre possent eosque petiisse ut a foedere cum eo icto liberarentur. qua re iratus Brutus hanc epistulam scribit. per se patet hoc loco illas epistulas subditas esse. nam etiamsi posterioris epistulae initium ubi Brutus in bellum se iturum esse dicit non ad expeditionem in Asiam factam referenda sit, sed ad bellum quod contra Octavianum et Antonium postea gessit, tamen cum haec non multo intervallo separata sint, non probabile est Cyzicenos illis iam temporibus propter debilitatem suam nec potuisse nec voluisse cum Bruto facere, maxime cum is eos donaverit Proconneso. his expositis non necesse erit singulas epistulas probem non genuinas esse. id enim fieri nequit ut alias pro subditiciis habeamus, alias pro genuinis:

eidem omnes auctori deberi inde elucet quod eodem modo compositae sunt, ita ut de nulla aut de omnibus liceat dubitare.

postquam totam collectionem Mithridateam spuriam esse intelleximus, quaeramus num ab uno auctore omnes quae ea contineantur epistulae scriptae sint. qua de re diu dubitavi, nunc vero eo inclino ut ea vera esse censeam quae a Mithridate personato in praefatione exponuntur. certam enim firmamque causam cur iis diffidamus non video. igitur tenendum est Mithridatem personatum ad Brutianas epistulas quae eius aetate iam fuerunt et quas pro genuinis habuisse videtur responsa fecisse. quibus vero temporibus Bruti epistulae exortae sunt? ac primum quidem earum tres (I. XXV. LXIX) ad verbum extant in Bruti vita Plutarchea, unde probatur Brutianas epistulas ante Plutarchi vitas conscriptas esse. longe aliter Westermannus commentationis de epist. script. Graec. parte IV p. 3 s. iudicavit eorum sententiam amplexus 'qui Plutarchum aliunde haec habere, falsarium vero his ipsis vestigiis ad fraudem faciendam perductum Plutarchea demum in suum usum convertisse ad eorumque exemplum reliqua confinxisse arbitrantur'. sequerer Westermannum si epistulae quas ille genuinas habet prae ceteris eminerent bonitate; sed cum plane non discrepent a ceteris, ab uno omnes scriptore profectae videntur. igitur omnes ante Plutarchi vitas exortae sunt. accuratius vero vix poterit fieri ut terminus ante quem Bruti epistulae conscriptae sint statuatur, quoniam de tempore vitarum Plutarchearum non multum constat. consentiunt quidem viri docti ea in re ut posteriore vel postrema vitae parte Plutarchum has vitas parallelas composuisse dicant. cetera in obscuro sunt. quae eruere eo difficillimum fit quod Plutarchus saepius in priore quodam libro ad posteriorem spectat [1]). ut in Bruto qui una cum Dione in duodecimo vi-

---

1) hoc recte monuit Volckmannus *Plutarchs Leben, Schriften und Philosophie* I, 104 not.

tarum libro infuit c. 9 haec leguntur: τοὐναντίον δ' ἀπήντησεν, ὡς ἐν τοῖς περὶ Καίσαρος ἀκριβῶς γέγραπται, in Caesare vero extat c. 62: δι' αἰτίας ἃς ἐν τοῖς περὶ Βρούτου γεγραμμένοις δεδηλώκαμεν et c. 68: ἃ δὲ καὶ πράξαντες καὶ παθόντες ἐτελεύτησαν ἐν τοῖς περὶ Βρούτου γέγραπται. cf. Dion. c. 58 et Timol. 13. 33 alia. quo factum est ut de ordine harum vitarum mihi nihil pro certo constare videatur[1]).

deinde ut indagemus terminum post quem hae epistulae scriptae sint, non certa quidem, sed tamen probabilia licet hac de re statuere. apparet enim non multa in his epistulis inesse, sed paucas sententias variis modis repeti. quod si reputas, num tibi veri.simile videtur paullo post Brutum mortuum hoc potuisse fieri? num illa iam aetate quisquam cre-

---

1) C. Th. Michaelis quidem scripsit 'de ordine vitarum parallelarum Plutarchi' (diss. Berol. 1875), sed adeo falsa quaestioni suae immiscuit, ut de tota re non possit iudicari. e. g. vide quemadmodum Bruti et Caesaris locos supra allatos tractaverit. Bruti verba quae ad Caesarem spectant delet, cum Bruti vita ante Caesarem scripta sit; verum ne ea quidem quae in Caesare c. 68 ad Brutum spectant genuina sunt. audias ipsius Michaelis verba (p. 11): 'per se nihil inest in his verbis quod offendat. Plutarcho tamen attribui non possunt. nam si Plutarchus ipse haec scripsisset, hoc alia de causa non fecisset nisi quod in hac vita de illorum morte et clade nihil referre vellet, quippe quae ante iam satis digesta et explanata essent. neque igitur sanus his verbis sensus est, nisi addantur excusationis causa, quod hoc loco de nobili illa sorte Bruti et Cassii non disputetur. at vero totum c. 69 in extremis utriusque fatis versatur, ita quidem ut non solum ea quae in Bruti vita legimus breviter omnia comprehendantur, sed ut addatur etiam Cassium eodem gladio sibi vitam exhausisse, quo Caesari vim intulerat. insana igitur sunt illa verba quibus in Caes. 68 ad Bruti vitam reicimur, quamquam Brutum ante Caesarem scriptum esse negari non potest; neque in dubium vocari potest quin haec quoque Plutarcho abiudicari necesse sit'. de consilio hunc locum exscripsi ut videres quomodo ille rem egisset. nam libere profiteor me non intellegere quid 'insanum' in Plutarcheis sit. sed adamat iste homo talia. — ut possit iudicari de ordine vitarum Plutarchearum tota de integro instituenda est quaestio.

didit tales epistulas esse Brutianas, quod credi voluit is qui eas supposuit? succurrit alia cogitatio. primo enim imperatorum saeculo cum Stoici starent contra imperium, cum omnes qui imperatoribus repugnarent ad Stoicam philosophiam confugerent, Brutum hi colere coeperunt eumque celebrare ut eum qui philosophus idemque politicus pristinae Romanorum libertatis vindex factus esset. tunc omnia illis grata erant quae Bruti memoriam auctoritatemque in luce ponerent et augerent; tunc etiam hae epistulae exortae videntur, quae philosophiam sane sapiunt magis quam politicam; cf. ep. III XXXI XLI XLIII XLIX LXV. neque enim antea quemquam puto talia frustula proferre ausurum fuisse: meo igitur iure statuo has epistulas primo imperatorum aevo ortas esse, eadem fere aetate atque Chionis epistulas quae item adversariis imperii debentur [1]).

---

1) quo rerum scriptore epistularum Brutianarum auctor usus sit non liquet; sed probabile est eum non favisse reipublicae assectatoribus cum ea quae de Xanthi urbis expugnatione narrantur in una re satis gravi a reliqua litterarum memoria abhorreant. Appianus enim hist. Rom. IV, 80 ss. et Plutarchus vit. Brut. 30 ss. narrant cives ipsos urbem combussisse et se interfecisse, simillime Dio Cassius XLVII, 34 qui quidem adicit primum milites Romanos domus incendisse paucas, deinde cives totam urbem. contra in epistulis XI et XLIII traditur Brutum ut urbem puniret ob defectionem, aedibus ignem iniecisse et cives morte mulctasse. quod nemo censebit scriptorem nostrum de suo addidisse quippe qui scriberet ut honore afficeret Brutum, non ei obtrectaret. — praeterea eorum quae apud ceteros scriptores non extant haec memorabilia sunt:

1. ex epp. LI LIII LV LVII apparet Dolabellam diu versatum fuisse in finibus Trallianorum, qui hoc sponte sua admiserunt. maxime autem ibi Menodorum quendam pro Dolabellae factione id egisse ut civium animis persuaderet ut Dolabellam in urbem reciperent. postea Dolabella cum ab urbe illa cederet Menodorum secum duxit. ep. LVII omni ex parte ficta est.

2. Brutus cum in Macedonia versaretur, Abderis exercitum qui ex Italia venerat lustrat (ep. IX).

restat ut de iis epistulis quae ad Brutum missae sunt paucis agam. nihil autem in iis inest unde de originis aetate possit iudicari: ad meram coniecturam nobis confugiendum est. scimus autem homines posteriorum temporum Brutianas epistulas permagni fecisse ut eas quasi παραδείγματα τοῦ ἐπιστολικοῦ χαρακτῆρος ceteris hominibus ad imitandum proponerent[1]). cuius aestimationis primum quantum video vestigium extat apud Phrynichum Arabium qui in σοφιστικῆς παρασκευῆς libro decimo (Phot. bibl. cod. 158) Μαρκιανόν φησιν τὸν κριτικὸν συγγραφέα ὑπερορᾶν μὲν Πλάτωνος καὶ Δημοσθένους, τὰς δὲ Βρούτου τοῦ Ἰταλοῦ ἐπιστολὰς προκρίνειν καὶ κανόνα τῆς ἐν λόγῳ ἀρετῆς ἀποφαίνειν. talis scriptor qualis Marcianus ille fuit Mithridateam quae fertur syllogen collegisse putandus est, in qua sine dubio exercitationis causa, quandoquidem rhetor fuit, ipse epistulas ad Brutum missas finxit. quando ille vixerit nescio[2]).

---

3. Brutus cum in Asiam esset traiecturus Cyzicenos iussit arma quae Bithyni paraverant ad Hellespontum mittere; quod postquam tempore statuto fecerunt, Proconnesum a Bruto dono accipiunt (ep. XXXV XXXVII). — discrepant autem haec ab iis quae Plutarchus tradit: qui ipsum Brutum in Bithyniam se contulisse narrat ibique tributa imposuisse urbibus. — paullo autem post Cyziceni desinunt Brutum adiuvare (ep. XXXIX) atque etiam Bithyni ceteri dubitant ei copias mittere (ep. LIX ss.), ita ut Brutus Aquilam amicum illuc se conferre iubeat, ut naves frumentaque accipiat; quod male illi cessit. — Aquila aliunde non notus est. quo fit ut Westermannus Ἀκύλιον pro Ἀκύλαν scribendum proposuerit.

4. Damasippus Rhodiorum classi praefectus cum Rhodus expugnata esset Pataram fugit una cum duabus cataphractis. — si haec quae in ep. XVII traduntur sic intellegenda sunt ut Damasippus sit totius classis dux, id quod sane epistularum auctor dicturus fuit, pugnant ea cum iis quae apud Appianum hist. Rom. IV, 66 extant. is enim tradit Mnaseam praefuisse Rhodiorum classi, qui num servatus sit non liquet.

1) cf. Philostrat. p. 364 ed. Kays. (Turici 1844). Phot. ep. 207.

2) Hercherus adnot. crit. p. XXXI Mithridatem personatum id

denique de Hippocratis epistulis agamus. una autem cum his in editionibus et in codicibus traduntur Atheniensium in honorem Hippocratis decretum et duae orationes quarum alteram Hippocrates ipse, alteram Thessalus filius apud populum Atheniensium habere fingitur. sed de iis agere alienum est a proposito [1]). epistulae autem in tres partes dividuntur. atque primum quidem epistulae I—IX de lue Persarum sananda quin eidem scriptori debeantur nemo dubitabit; secuntur epistulae X—XVII, unde comperimus quomodo Hippocrates Abderitarum precibus obsecutus Abdera profectus sit ut Democrito mederetur quidque ibi gesserit. denique leguntur alternae Hippocratis Democritique epistulae eaeque quas Hippocrates ad Thessalum filium et Demetrium regem misit (XVIII—XXIV). inter has autem classes C. E. Chr. Schneiderus [2]) priorem a ceteris duabus plane separari voluit argu-

---

egisse censet 'ut nonnulla harum epistularum paria similia sibi redderet ambitu verborum, nonnulla versuum numero'. affert ipse ep. XXXIII et XXXIV. praeterea etiam ep. III et IV totidem verbis constant, VII et VIII facillime ad eundem numerum referuntur, modo scribas priore loco τοῖς ταὐτὰ ἐκείνῳ ἑλομένοις. sed fortuito illos numeros eosdem esse puto, cum in nullis nisi perpaucis epistulis hoc reperiatur. id autem cavendum est ne in epistulas ubi haec lex non observatur eam intrudamus. e. g. Hercherus in ep. XXXV verba ὡς ἂν εἰ καὶ παράπαν φθαρείη quae post ἔλθοι loco non apto traduntur delevit, quo epp. XXXV et XXXVI eodem verborum numero constent (sed in posteriore ep. τἀναντιώτατα ex V recipiendum est). a glossatore Hercherus censet haec adiecta esse ad verba ἢ καὶ ὑπὸ τοῖς πολεμίοις γένοιτο: miramur autem quam bene haec verba ad sensum totius loci quadrent, ut aegre ea desideremus, neque scimus quemadmodum glossator ea potuerit addere, quorum nec vola nec vestigium in ipso loco inest. non interpolata igitur haec verba esse arbitror, sed falso loco posita. reponenda sunt post verbum γένοιτο.

1) iam Alexandrinorum aetate extitisse utramque orationem et decretum illud Petersenus in Schneidewini Philol. IV (1849) p. 224—29 optime probasse videtur, cuius argumenta ipse inspicias.

2) *Hippocrates und Artaxerxes* in Henscheli annalibus, qui

mentatione usus cui minime adstipulor. an inde quidquam potest probari quod in prioribus epistulis historica tantum narrantur, cum posterioribus etiam praecepta e medicina et philosophia petita contineantur? potuerunt omnino in prioribus talia proferri? neque e magnitudine epistularum quidquam effici potest, cum non necesse fuerit omnes epistulas totidem complecti enuntiata. ea autem de causa epistulae illae quae ab Hystane et ad eum scriptae sunt ceteris breviores sunt quia non multa nota fuisse videntur de ratione quae intercesserit inter Hippocratem et Hystanem. graviora autem argumenta quam quae commemoravi Schneiderus non protulit: quo fit ut nihil eum probasse censeam. sed res longe aliter se habet. quod ut exponam, a posterioribus ordiar epistulis. in epistula enim duodevicensima Democritus cum Hippocrates eum adit περὶ κόσμου διαθέσιος καὶ πολογραφίης ἔτι τε ἄστρων οὐρανίων scribens fingitur, cum ex epistula antecedente eum in libro περὶ μανίης scribendo versatum fuisse appareat [1]). hic Hippocrates Abderitis ab eo petentibus ut Democriti insaniae medeatur fidem non habet, quod etiam in epp. XI, 4. XII, 1. 5. XIII, 2. XIV [2]). XV, 1. 7. 8. XVI, 3. 7. 8. confirmatur; illic vero Hippocrates elleboro ut insanum purgaturus erat Democritum (cf. § 1), id quod vel magis elucet ex epistula vicensima in qua hic illi respondet. non iniuria inde concludes duplicem seriem epistularum quae diversis auctoribus debeantur extare; ita ut coniungendae sint

---

Ianus, Zeitschrift f. Gesch. u. Litt. d. Medicin inscribuntur vol. I (1846) p. 90—93.

1) hanc discrepantiam primus observavit Ermerins Proleg. vol. III. p. LXXXV.

2) in hac epistula Hippocrates non apertis verbis Democritum insanire dicit, sed βούλεται tantum μὴ ὄντως αὐτὸν παρακόπτειν, ἀλλ' ἐκείνοισι (sc. Abderitis) δόξαν εἶναι; mali quidem inesse aliquid in perpetuo illo risu. igitur se moniturum esse philosophum Abderitanum ut mittat hanc consuetudinem qua periclitetur ne Abderitanus habeatur, civitas autem ipsa prudentior sit.

cum epistulae XI—XVII quibuscum arcte cohaeret epistula decima, tum epp. XVIII et XX. atque priores illae epistulae habent fortasse in quo offendas, ut uni illas tribuere dubites. recte enim Usenerus me monuit decem talentorum, quam mercedem Abderitas sibi pollicitos esse Hippocrates dicit in ep. XI, 8 et XVI, 3, in epistula Abderitarum nec volam nec vestigium esse; sed huic rei non nimium tribuendum videtur: nonne fortuito factum esse potest ut ipsa illa talenta ab Abderitis non commemorarentur? χρημάτων enim in illa quoque epistula mentio fit (cf. § 4: οὐκ ἂν ἁμάρτοις οὔτε δόξης τῆς ἐπ' αὐτῷ περισωθέντι οὔτε χρημάτων οὔτε παιδείης· καίτοι τὰ τῆς παιδείης πολλῷ σοι βελτίω τῆς τύχης· ἀλλά σοι καὶ ταῦτα συχνὰ παρ' ἡμέων καὶ ἄφθονα γενήσεται· τῆς γὰρ Δημοκρίτου ψυχῆς ἀλλ' οὐδ' εἰ χρυσὸς ἦν ἡ πόλις ἀνταξία βουλήσιος οὐδ' ὁτιοῦν ἀφυστερήσαντα [1]). si vero epistulam XVI eidem auctori tribuo, huic rei favere videtur quod exeunte illa epistula quasi summo digito tanguntur ea quae illic herbarum causa Hippocrates ad Crateuam scribit. epistulae igitur X—XVII uni auctori tribuendae sunt [2]), et ei quidem qui etiam epistulas praecedentes scripsit. illae enim

---

1) vide etiam XI, 5: ἀργύριον δέ μοι ἐρχομένῳ, οὔτ' ἂν φύσις οὔτε θεὸς ὑπόσχοιτο, ὥστε μηδ' ὑμεῖς, ἄνδρες Ἀβδηρῖται, βιάζεσθε, ἀλλ' ἐᾶτε ἐλευθέρης τέχνης ἐλεύθερα τὰ ἔργα et XII, 5: σπεύδουσι δὲ Ἀβδηρῖται ἀργυρίου ἐλεγχθῆναι ὅτι οὐ ξυνιᾶσι Δημόκριτον.

2) addam haec. quae in epistula XII adferuntur ad Democriti vitam depingendam, ea congruunt cum iis quae in ep. XVII enarrantur; illic brevibus tractantur quae hoc loco copiosius exponuntur; compares maxime ep. XII, 1 et XVII, 17. 13. 6. epistula autem decima septima quae ad Damagetum missa est cohaeret cum ep. XIV ad eundem scripta: in utraque Hippocrates amicum illum adfatur voce φιλότης. atque etiam ep. XI, 2: ἀνέγνων τε ὑμέων τὴν ἐπιστολὴν καὶ ἐθαύμασα (sic codd.) ὅτι περὶ ἑνὸς ἀνθρώπου ὡς εἷς ἄνθρωπος ἡ πόλις θορυβέεσθε et XIII, 2: ἄλεκτός τις ἡ ξυμπαθείη τῶν ἀνθρώπων . . . ὡς μιᾷ ψυχῇ συννοσεόντων (συννοσούντων Hauptius) τῷ πολίτῃ ad eundem spectant auctorem.

cunctae adeo paucae et breves sunt ut vix credas eas solas a rhetore quodam talive homine subditas esse; necesse esset eas saltem post ceteras in lucem prodiisse. quod dum certis argumentis demonstratum sit, eidem scriptori omnes usque ad decimam septimam epistulas tribuo [1]).

iam ceteras adeamus epistulas. decimam octavam et vicensimam segregandas esse a priore epistularum classe supra vidimus; utramque autem epistulam eidem deberi inde patet quod in ep. XX Hippocrates Democrito respondet. epistulam vicensimam unam a vicensima separari non posse unusquisque videt, modo huius finem inspexerit. accedit quarto loco epistula undevicensima, quam Hippocrates Democrito scripsit et in qua, quandoquidem is περὶ μανίης librum ei misit, suam quoque ipsius hac de re sententiam exponit [2]). duae

---

1) inter ipsas epistulas I—IX sunt quae non plane inter se concinant. in ep. VII haec leguntur: ἣν ἔπεμψας ἐπιστολὴν λέγων πέμψαι Ἱπποκράτει ἰητρῷ Κῴῳ ἀπὸ Ἀσκληπιαδέων γεγονότι, ἔπεμψα. at in ep. III id non inest. apparet Hystanem ultro Artaxerxis epistulam ad Hippocratem misisse, non iussu regis; ex ep. IV nihil licet concludere. ea autem de causa diversis scriptoribus singulas epistulas tribuere non fas est, cum ei qui has epistulas finxit etiam neglegentiam suam eamque hoc loco non magnam concedere debeamus. quod qui concesserit, ne in ea quidem discrepantia offendet quae inter ep. III et XI intercedit. frustra enim quaeres illic quod in ep. XI, 8 narratur: Persarum regem Hippocrati totas urbes se daturum esse promisisse. — necessitatem quandam produnt ep. II: τοῦτον (Hippocratem) μετάπεμψαι e. q. s. οὗτος γὰρ ἐπίσταται οὐχ ἕνα τρόπον τῆς ἰήσιος τοῦ πάθεος, οὗτος πατὴρ ὑγιείης, οὗτος σωτήρ, οὗτος ἀκεσώδυνος, οὗτος ἁπλῶς ἡγεμὼν τῆς θεοπρεπέος ἐπιστήμης et X, 5: ἴθι θεραπεύσων . . . ἄνδρα ἀρίσημον, οὐκ ἰητρός, ἀλλὰ κτίστης ἐὼν ὅλης τῆς Ἰωνίης, περιβάλλων ἡμῖν ἱερώτερον τεῖχος. πόλιν, οὐκ ἄνδρα θεραπεύσεις, βουλὴν δὲ νοσοῦσαν καὶ κινδυνεύουσαν ἀποκλεισθῆναι μέλλεις ἀνοιγνύναι, αὐτὸς νομοθέτης, αὐτὸς δικαστής, αὐτὸς ἄρχων, αὐτὸς σωτήρ, καὶ τούτων τεχνίτης ἀφίξει. anaphoram hic scriptor adamasse videtur; cf. X, 8. XII, 1. 4. XIV, 5. XVI, 3. XVII, 17. 20. 21. 25. 47—49.

2) in solo codice b haec epistula inscribitur Δημόκριτος Ἱππο-

vero hae epistulae (XIX et XXI) eo insignes sunt quod ad verbum paene ex Hippocratis scriptis depromptae sunt, nempe prior e morb. sacr. 14. 15 (VI, 388. 390 Litt.) [1]), epid. V, 80. 81 (V, 248. 250 L.) [2]), posterior e diversis libris et eo quidem modo ut non ubique fons commemoratus sit [3]). hanc vero epistulam totam adscribo una cum iis locis, e quibus consuta est, ut cum viderimus quomodo fonte suo scriptor usus sit, etiam de indole eius et ingenio iudicium stabiliri possit:

κράτει περὶ μανίης, quod falsum esse liquet. scriptorem autem adeo ineptum fuisse 'ut libellum citationibus ex Hippocrateis refertum et in quo ipse scriptor ex suis scriptis ipsius locos depromere se profitetur', Democrito tribueret, cum per se vix probabile est tum refutatur iis quae supra additurus sum. cf. Ermerins in Hippocr. editione vol. III p. 603.

1) ansam praebet epistula qua libri Hippocratei paucos locos melius quam Littréus edamus. scribendum enim est p. 388 v. 6 ὅταν (θμ. ὁκόταν ceteri codices), v. 8 ἄλλα (θμ. ἄλλο ceteri), v. 10 ὅσον (θμ. ὁκόσον ceteri), ἀτρεμίσῃ (EFHJKZθ. ἀτρεμήσῃ ceteri), v. 14 καὶ οὐ βοηταὶ οὐδὲ θορυβώδεες (καὶ οὐ βοῆται οὐδὲ θορυβώδεες EHXP' θικ. καὶ οὐ βοῶσιν οὐδὲ θορυβέουσιν ceteri), v. 16 αὗται αἱ προφάσιες (H prima manu θμ. αὗται αὐτοῖς αἱ προφάσιες ceteri), v. 21 ἐς τὰς φλέβας (θμ. κατὰ EFGJKLXZ. ἐπὶ ceteri). — in epistulae paragrapho quinta Hercherus debebat recipere codicis b lectionem ἐρεύθονται.

2) duae hae paragraphi iterum extant epid. VII, 85. 86 (V, 444 L.), ubi paucae discrepantiae inveniuntur. sed tollendae eae sunt: nam cum liber VII quinti, quintus vero huius epistulae fons sit, sequitur ut liber quintus corrigendus sit ex iis quae in libro VII et epistula eodem modo traduntur. restituo igitur p. 248 L. versu ultimo ἀφωνίη, ἄγνοια, παραλήρησις, p. 250 v. 2 διακλύσαιτο, v. 3 καὶ σφόδρα πικρὴ ἦν, paullo post ὀδύνη· φλεβοτομίη ἔλυσε ταῦτα (ἦν φλ. in omnibus codicibus praeter C. sed recte ἦν omittitur, quia φλεβοτομίη non ad cordis dolorem solum spectat, sed ad ἀφωνίην, ἄγνοιαν, παραληρήσεις, ὑποστροφάς).

3) Ermerins in editione haec adnotavit.

Τοῖς μὴ ῥηϊδίως ἄνω καθαιρομένοις πρὸ τῆς πόσιος προϋγραίνειν τὰ σώματα πλείονι τροφῇ καὶ ἀναπαύσει.	Πρὸς τοὺς ἐλλεβόρους τοῖσι μὴ ῥηϊδίως ἄνω καθαιρομένοισι πρὸ τῆς πόσιος προϋγραίνειν τὰ σώματα πλείονι τροφῇ καὶ ἀναπαύσει. aph. IV, 13 (vol. IV, 504 sq. Littréi).
ἐπὴν πίῃ ⟨τις⟩ ἐλλέβορον, πρὸς τὰς κινήσιας τῶν σωμάτων μᾶλλον ἄγειν, μὴ πρὸς ὕπνους· δηλοῖ δὲ ἡ ναυτιλίη ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει.	ἐπὴν πίῃ τις ἐλλέβορον, πρὸς μὲν τὰς κινήσιας τῶν σωμάτων μᾶλλον ἄγειν, πρὸς δὲ τοὺς ὕπνους καὶ μὴ κινήσιας ἧσσον· δηλοῖ δὲ ἡ ναυτιλίη ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει. ibid. 14 (506 L.).
2. ἐπὴν βούλῃ μᾶλλον ἄγειν ἐλλέβορον, κίνει τὰ σώματα.	ἐπὴν βούλῃ μᾶλλον ἄγειν τὸν ἐλλέβορον, κίνει τὸ σῶμα· ἐπὴν δὲ παῦσαι, ὕπνον ποίει καὶ μὴ κίνει. ibid. 15 (506 L.).
ἐλλέβορος ἐπικίνδυνος τοῖσι σάρκας ὑγιέας ἔχουσι.	ἐλλέβορος ἐπικίνδυνος τοῖσι τὰς σάρκας ὑγιέας ἔχουσι· σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει. ibid. 16 (506 L.).
ὅσοι ἐν ταῖς φαρμακοποσίαις μὴ διψῶσι, καθαιρόμενοι οὐ παύονται πρὶν ἢ διψήσωσι.	ὁκόσοι ἐν τῇσι φαρμακοποσίῃσι μὴ διψῶσι, καθαιρόμενοι οὐ παύονται πρὶν ἢ διψήσωσι. ibid. 19 (508 L.).
σπασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου θανάσιμον.	σπασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου θανάσιμον. ibid. V, 1 (532 L.).

A. 3. πλείονι H. πλέονι ceteri. 4. ἀναπαύσι Hercher. 7. ἐπὴν πίῃ CH. ἐπὴν δὲ πίῃ ceteri. δὲ recte omittitur cum in prioribus duabus paragraphis huius epistulae singula enuntiata nullo vinculo coniungi soleant. post πίῃ necesse est addatur τις, ne subiectum desideretur. τὰς delevit nescio quis, ut Hercherus ait. 8. τὰ σώματα Hercher. 15. κινεῖ volg. κίνει H. κίνεε Hercher. 22. φαρμακοποσίῃσι Hercher.

B. 11. post δὲ inseritur καὶ in CEFGIJLTB'E'I'J'O'T'U'V'Z'V'X'. δὲ καὶ omittit S.

ἐπὶ ὑπερκαθάρσει σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγενόμενος κακόν.

ἐπὶ ὑπερκαθάρσει σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγενόμενος κακόν. ibid. 4 (532 L.).

ἐν ταῖς ταραχαῖς τῆς κοιλίας καὶ τοῖς ἐμέτοις τοῖς αὐτομάτως γινομένοις, ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν· εἰ δὲ μή, τοὐναντίον.

ἐν τῇσι ταραχῇσι τῆς κοιλίης καὶ ἐμετοῖσι τοῖσιν αὐτομάτως γινομένοισιν, ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν· ἢν δὲ μή, τοὐναντίον. οὕτω δὲ καὶ κεναγγείη. ibid. I, 2 (548 L.).

3. ὡς δὲ ἔφην ἐν τῷ προγνωστικῷ[1]), κάθαρσις εὐθετεῖ ἡ ἄνω, ἐφ' ᾧ ἀπυρέτῳ ἀσιτίη ἢ καρδιωγμὸς ἢ σκοτόδινος ἢ στόμα ἐπιπικρούμενον, καθόλου ταῖς ὑπὲρ τῶν φρενῶν ὀδύναις·

ἀπυρέτῳ ἐόντι ἀποσιτίη καὶ καρδιωγμὸς καὶ σκοτόδινος καὶ στόμα ἐπικρούμενον ἄνω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίμει. ibid. IV, 17 (506 L.). τὰ ὑπὲρ τῶν φρενῶν ὀδυνήματα ἄνω φαρμακείην σημαίνει· ὁκόσα δὲ κάτω, κάτω. ibid. 18 (506 L.).

ἡ δὲ κάτω, ὅπου χωρὶς πυρετοῦ στρόφος, ὀσφύος ὀδύνη, γουνάτων βάρος, καταμήνια δυσεργοῦντα, ὀδύναι ἐν τοῖς ὑπὸ τὸ διάφραγμα.

ἀπυρέτοισιν ἐοῦσιν ἢν γίνηται στρόφος καὶ γουνάτων βάρος καὶ ὀσφύος ἄλγημα κάτω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει. ibid. 20 (508 L.).

4. φυλάσσεσθαι δὲ ἐν ταῖς φαρμακοποσίαις τοὺς ἀστείους τὰ σώματα, μάλιστα δὲ τοὺς μέλανας καὶ ὑγροσάρκους

A. 1. ὑπερκαθάρσι Hercher. 2. ἐπιγιγνόμενος Hercher. 4. ταραχῇσι Hercher. 5. τοῖσιν ἐμέτοις τοῖς αὐτομάτως γινομένοισι omnes libri praeter H. 14. ἢ om. CH utroque loco. 15. ἢ om. H. tribus his locis recte omitti videtur; cf. enuntiatum quod sequitur. 25. τῇσι φαρμακοπίῃσι Hercher.

---

1) in προγνωστικῷ haec non insunt. erravitne scriptor an plura in illo libro legebat quam nos?

καὶ τοὺς ὑποξήρους δὲ καὶ ψελλοὺς καὶ τραυλούς[1]). ὁκόσοι δὲ τὰ φλεγμαίνοντα ἐν ἀρχῇ τῆς νούσου, ὡς ἔφην ἐν τῷ περὶ πτισάνης[2]) (de vict. acut. append. 3. II, 402 L.), εὐθέως ἐπιχειροῦσι λύειν φαρμακείῃ, τοῦ μὲν ξυντεταμένου καὶ φλεγμαίνοντος οὐδὲν ὠφελεῦσιν, οὐδὲ γὰρ διαδίδωσιν ὠμὸν ἐὸν τὸ πάθος, τὰ δὲ ἀντέχοντα τῷ νοσήματι καὶ ὑγιεινὰ ξυντήκουσιν· ἀσθενέος δὲ τοῦ σώματος γινομένου τὸ νόσημα ἐπικρατεῖ, καὶ ἀνιήτως ἔχουσιν.

5. ἐλλεβορίζειν δὲ χρὴ οἷς ἀπὸ κεφαλῆς φέρεται ῥεῦμα.

ἐλλεβορίζειν δὲ χρὴ οἷσιν ἀπὸ κεφαλῆς φέρεται ῥεῦμα. ibid. 16 (474 L.).

μὴ διδόναι δὲ ἐπὶ ἐμπύων μήτε φαρμακεύειν τοὺς ἀχρόους, τοὺς βραγχώδεας, τοὺς σπληνώδεας, τοὺς ἀφαίμους, τοὺς πνευματώδεας καὶ ξηρὰ βήσσοντας, διψώδεας, φυσώδεας, ἐντεταμένους ὑποχόνδρια καὶ πλευρὰς καὶ μετάφρενα, τοὺς ἀπονεναρκωμένους καὶ ἀμαυρὰ βλέποντας καὶ οἷς ἦχοι τῶν ὤτων καὶ τῆς οὐρήθρης ἀκρατεῖς μηδὲ τοὺς ἰκτερώδεας ἢ κοιλίης

εἰδέναι δὲ τοὺς κεφαλαλγικοὺς ἐκ γυμνασίων ἢ δρόμων ἢ πορειῶν ἢ κυνηγεσίων ἢ ἄλλου τινὸς πόνου ἀκαίρου ἢ ἐξ ἀφροδισίων, τοὺς ἀχρόους, τοὺς βραγχαλέους, τοὺς σπληνώδεας, τοὺς λειφαίμους, τοὺς πνευματώδεας, τοὺς ξηρὰ βήσσοντας καὶ διψώδεας, τοὺς φυσώδεας, φλεβῶν ἀπολήψιας, ἐντεταμένους ὑποχόνδρια καὶ πλευρὰ καὶ μετάφρενον, τοὺς ἀπονεναρκω-

A. 2. νόσου H. 5. ὠφελεῦσιν CH. ὠφελέουσιν ceteri.

B. 18. ἐφαίμους C (D in marg. alia manu γεγρ. λειφαίμους) FGHIJZ (S′ cum asterisco) T′. ὑφαίμους K. fortasse etiam hoc loco ἀφαίμους scribendum est.

---

1) hoc enuntiatum ad verbum nusquam in Hippocratis scriptis extare videtur, sed si sensum spectas omnia ex iis deprompta sunt. cf. aph. II, 36. 37 (vol. IV, 480 Litt.), IV, 6. 7 (504 L.). 16 (506 L.).

2) libellus περὶ διαίτης ὀξέων alium quoque prae se ferebat titulum, nempe περὶ πτισάνης. cf. hac de re Kuehni Prolegomena p. XCV ss.

ἀσθενέας ἢ αἱμορρώδεας ἢ ἐν φύμασιν.

μένους καὶ ἀμαυρὰ βλέποντας καὶ οἷσιν ἦχοι τῶν οὐάτων ἐμπίπτουσι καὶ τῆς οὐρήθρας ἀκρατέως διακειμένους, τοὺς ἰκτερώδεας καὶ ὧν αἱ κοιλίαι ὠμὰ ἐκβάλλουσι, καὶ αἱμορραγέοντας ἐκ ῥινὸς ἢ καθ' ἕδρην σφοδρῶς, ἢ ἐν φυσήμασιν ἔωσιν, ἢ πόνος αὐτοῖσιν ἐπιτρέχῃ e. q. s. ibid. 23 (506 L.).

6. ἢν δὲ φαρμακεῦσαι δοκέῃ, ἐλλεβόρῳ ἀσφαλῶς ἄνω κάθαιρε, κάτω δὲ μή· κράτιστον δὲ τούτοις διαιτᾶν.

ἢν δὲ φαρμακεῦσαι δόξῃ, ἐλλεβόρῳ ἀσφαλέως ἄνω κάθαιρε· κάτω δὲ μηδενὶ τῶν τοιῶνδε. κράτιστον δὲ ἐς οὔρησιν καὶ ἐς ἱδρῶτας καὶ ἐς περιπάτους ἄγειν καὶ τρίψει ἡσύχῳ χρέο e. q. s. ibid 25 (510 L.).

ὡς δὲ ἔφην ἐν τῷ προρρητικῷ (c. 71. V, 529 L.) μὴ φαρμακεύειν μηδὲ τοὺς ἐπανεμοῦντας μέλανα, ἀποσίτους καὶ παραφόρους, καθ' ἥβην μικρὰ ὀδυνώδεας, ὄμμα θρασὺ κεκλιμένον ἐχοντας, ἐποιδοῦντας, σκοτώδεας, ἀχρόους, μηδὲ τοὺς ἐν πυρετῷ καυματώδεας κατακεκλασμένους. 7. ὡς δὲ ἔφην ἐν τῷ περὶ πτισάνης (de vict. acut. append. 28. II, 514 L.), σησαμοειδὲς ἄνω καθαίρει· ἡ πόσις ἥμισυ δραχμῆς ἐν ὀξυμέλιτι τετριμμένον· ξυμμίσγεται δὲ καὶ τοῖς ἐλλεβόροις τὸ τρίτον μέρος τῆς πόσιος, καὶ ἧσσον πνίγει. 8. καθαίρειν δὲ καὶ τοὺς ἐν χρονίοις τεταρταίοις καὶ τοὺς ἐν λιπυριώδει πυρετῷ χρονίους καὶ ὧν οὐκ ἔστι δίψος μηδὲ ἀπόκρισις, τούτους δὲ μὴ πρότερον τῶν τριῶν ἑβδομάδων, ποτὲ δὲ καὶ πλευριτικοὺς καὶ εἰλεώδεις·

ὡς δὲ ἔφην ἐν τῷ περὶ [ἐπιμήνια κατασπάσαι· ἔτε-

21. καθ' ἥβην Littré. καθεύδειν volg.

γυναικείων, καὶ ἣν αἱμῆτραι καθάρσεως δέωνται.

ρον πρόσθετον καθαρτικόν.] καὶ ἐλλέβορος ἐν οἴνῳ γλυκεῖ, αἰρῶν ἄλευρον καὶ πύρινον μέλιτι φυρήσας, ἐν εἰρίῳ προστιθέναι. Morb. mul. I, 74 (VIII, 158 L.). cf. c. 78 (192. 194. 196 L.).

vides quomodo auctor noster rem gesserit. colligit singulos locos quibus de veratri purgatione agitur et transcribit ita in epistulam ut ne particulis quidem eos coniungat; habemus hominem qui ex Hippocratis libris carpit quae ei utilia sunt et ex his frustulis novum libellum quem genuinum esse vult componit[1]). similem auctorem prae se fert epistula vicensima tertia, quam inde a paragrapho tertia (ὁ μὲν ἐγκέφαλος e. q. s.) totam B. ten Brink inter Democriti περὶ ἀνθρώπου φύσιος fragmina recepit[2]), quod eum fecisse eo magis probandum est, quia etiam in Hipp. epp. XIX et XXI paene omnia verba ex ipso Hippocrate originem ducunt. longius autem progrediamur necesse est. nam quae leguntur paragrapho altera: σοφίη μὲν γὰρ ψυχὴν ἀναρρύεται παθέων, ἰητρικὴ δὲ νούσους σωμάτων ἀφαιρέεται, haec congruunt cum Clem. Alex. paed. I, 2, 6 (Dem. fr. 80 Mull.): ἰητρικὴ μὲν γὰρ κατὰ Δημόκριτον σώματος νούσους ἀκέεται, σοφίη δὲ ψυχὴν παθῶν ἀφαιρέεται. Lortzingius quidem[3]) spurium hoc fragmentum esse iudicat: ex epistula illud sumptum esse

1) epistulas XIX—XXI coniungendas esse supra monui. hoc eo probatur quod etiam in epp. XIX et XXI lectionis Hippocrateae vestigia insunt: quae enim in paragrapho quinta prioris epistulae docentur, apud Hippocratem ipsum occurrunt, ubi verba quoque pauca eadem sunt: vide de sal. vict. 2 (VI, 74 L.), de nat. hom. 10 (VI, 56 L.). — in epistula XX ineuntem paragraphum alteram ad aph. I, 1 (IV, 458 L.) spectare Ermerins in Prolegomenis v. III p. LXXXI monuit.

2) in Schneidewini Philol. VIII (1883), 415 sqq.

3) *Ueber die ethischen Fragmente Democrits* p. 24 programm. gymn. Soph. Berol. 1873.

arbitratur; sed non video cur id aliunde atque cetera Democritea quae Clemens affert sumptum sit. genuinum igitur illud non possum non habere. — fortuito autem fit ut Democriti personati epistula ineunte (§ 2) genuinam hanc Democriti sententiam contineri possimus aliunde probare: nonne veri simile est cetera quoque quae in paragraphis prima et altera leguntur, ex ipsis Democriti libris deprompta esse, praesertim cum inde a tertia paragrapho omnia Democritea esse constet [1])? — sequitur epistula XXIV. haec quoque coniungenda

---

1) licebit hoc loco pauca addere de Democriteis quae in Hippocratis epistulis praeter decimam sextam quam supra tractavi insunt. Hirzelius quidem hanc rem tetigit (Herm. vol. XIV (1879) p. 358 ss.), sed id quod debebat non conclusit. ordiar autem a priore epistularum classe. novit qui illas scripsit (ep. X, 3) Democriti περὶ τῶν ἐν Ἅιδου librum (quo de videas Mullachium in Democr. Abder. op. frgm. p. 113 ss.) neque mediocrem tantum vitae et doctrinae illius philosophi notitiam habuisse videtur: addit enim l. l. nonnulla quae genuina Democriti fragmenta habenda sunt ut

1. εἰδώλων φησὶ πλήρεα τὸν ἠέρα εἶναι. εἴδωλα non deos dicit sed ἀπορροὰς quae a rebus ad homines fluunt et quibus fit ut res animadvertamus. — Hirzelius cum hoc recte contulit quae ep. XVIII, 2 leguntur:

2. ὁκόσα γὰρ ἰνδαλμοῖσι διαλλάττοντα ἀνὰ τὸν ἠέρα πλάζει ἡμέας, ἃ δὴ κόσμῳ ξυνορᾶται καὶ ἀμειψιρρυσμέοντα (sic Littréus correxit) τέτευχε, ταῦτα νόος ἐμὸς φύσιν ἐρευνήσας ἀτρεκέως ἐς φάος ἤγαγεν · (μάρτυρες δὲ τούτων βίβλοι ὑπ' ἐμέο γραφεῖσαι). ad ἀμειψιρρυσμέοντα conferas librum περὶ ἀμειψιρρυσμιῶν (Laert. Diog. IX, 47), unde verba allata fortasse deprompta sunt. —

3. ἀποδημεῖν ἐνίοτε λέγει ἐς τὴν ἀπειρίην. illustrantur haec iis quae Hippocrates personatus ep. XII, 5 ad Philopoemenem scribit.

4. Δημοκρίτους εἶναι ὁμοίους ἑωυτῷ ἀναριθμήτους. notum est 'Democritum dicere innumerabiles esse mundos et quidem sic quosdam inter sese non solum similes, sed undique perfecte et absolute ita pares ut inter eos nihil prorsus intersit[, et eos quidem innumerabiles], itemque homines' (Cic. Acad. pr. 55). fragmen autem illud apud Democritum ad verbum extare ita ut vel nomen Δημόκριτος ab ipso

est cum ceteris in quibus Hippocritea ad verbum ex ipsius libris petita insunt. tertia enim paragraphus ex libro περὶ

---

allatum sit, inde me probare posse puto quod etiam Cicero exeunte illa paragrapho non solum homines sibi similes innumerabiles esse refutare studet, sed Q. Lutatios Catulos (nomine igitur proprio ita ut in epistula Abderitarum posito).

praeter haec extant alia quoque vestigia lectionis Democriteae ut ep. X, 3: (καὶ) ὀρνέων φωνὰς ὠτακουστεῖ (sc. Democritus): αἰτίαι περὶ φωνῶν apud Laert. Diog. IX, 47 inter Democriti libros commemorantur. quae in ep. all. secuntur: καὶ πολλάκις νύκτωρ ἐξαναστὰς μοῦνος ἡσυχῇ ᾠδὰς ᾄδοντι ἔοικε, iudicium mihi non constat. ea coniungenda videntur cum ceteris quae de Democriti vita more ingenio in epistulis traduntur. unde vero illa fluxere?

Hirzelius primus nos docuit quam multa in ep. XVII Democriti vestigia insint: totis enuntiatis Democriti sententias referri vidit, singula verba non satis respexit ut ep. XVII, 35: νῦν δ' ὡς ἐπ' ἀρηρόσι τοῖσιν ἐν τῷ βίῳ φρενοβλαβέες τετύφωνται, ἀξυλλογίστῳ διανοίῃ τῆς ἀτάκτου φορῆς δυσδίδακτοι · νουθεσίη γὰρ αὐτάρκης ὑπῆρχεν ἡ τῶν ξυμπάντων μεταβολή, ὀξείῃσι τροπῇσιν ἐμπίπτουσα αἰφνίδιον τροχηλασίην παντοίην ἑλίσσουσα, ubi permultae notiones ex eius philosophi doctrina repetitae sunt. erravit autem Hirzelius ea in re quod ad Democriti περὶ εὐθυμίης librum haec rettulit. ep. enim XVII, 15 Democritus περὶ μανίης scribens fingitur, quo in libro exponit (§ 16) τίς πέλει καὶ ὅκως ἀνθρώποισι ἐγγίνεταιν καὶ τίνα τρόπον ἀπολωφέοιτο. multa dein secuntur de hominum stultitia qui insani potius quam sani videantur (§ 25 ss.); vir doctus depingitur quomodo ille cum rerum naturae indagandae operam dat hominibus huius scientiae expertibus et ipse insanus videatur (cf. maxime § 8. 9); addenda sunt ea quoque quae de melancholia virorum doctorum in ceteris epistulis, imprimis duodecima exponuntur. num temere conicio haec omnia fluxisse ex eodem illo περὶ μανίης libro, qui Democrito subditus est? nam extabat ille sine dubio ea aetate qua epistulae illae scriptae sunt. fortasse hoc ipso libro fabella de insano Democrito divolgata est.

eundem illum librum novit is qui epistulam duodevicensimam scripsit. praeterea hic commemorat libros περὶ κόσμου διαθέσιος καὶ πολογραφίης ἔτι τε ἄστρων οὐρανίων. postremus liber idem videtur qui apud Laert. Diog. IX, 46 περὶ τῶν πλανήτων inscribitur.

κρίσεων 61 (IX, 294 L.) [1]). 57 (292 L.) sumpta est, unde epistulae locus qui per se intellegi nequit sanatur: ὑπὸ σπασμῶν ἐχομένῳ [2]) πυρετὸς ἐπιγενόμενος [3]) ἵστησι τὸ νόσημα, κεφαλῆς δὲ [4]) περιωδυνίας αἷμα κατὰ τὰ ὦτα ῥαγὲν ἢ κατὰ τὰς ῥῖνας. in ceteris epistulae paragraphis multa quidem congruunt cum Hippocratis doctrina; fontem autem eorum non detexi. — restat una epistula, nempe vicensima altera. quae cum inter medias eas quas modo tractavi tradita sit, ab iis non segreganda videtur. materia quidem eius unde deducta sit nescio, sed aut fallor aut etiam Hippocratis adhortatio qua filium incitat ut geometriae arithmeticaeque operam det, non a scriptore epistularum composita, sed aliunde compilata est. igitur ut breviter sententiam meam comprehendam, omnes epistulae a XVIII—XXIV ab eodem scriptore fictae sunt.

his expositis de aetate epistularum agamus. atque primum Abderitae in ipsorum et Hippocratis epistulis eandem stultitiam prae se ferunt qua eos praeditos fuisse nostrates a Wielandio didicerunt. Graecos vero et Romanos non omnibus temporibus haec cogitasse de Abderitis C. Fr. Hermannus [5]) docuit, qui eius fabulae prima vestigia apud Machonem comicum [6]) ostendit. post Ciceronem ea saepe inveniuntur. — cum his autem coniungenda sunt quae de Democrito in epistulis traduntur. ille enim ut philosophus hominum stultitiam semper ridens depingitur qualis apud Ciceronem quidem nondum apparet, sed paullo post apud Hor. ep. II,

---

1) hic locus repetitur aph. IV, 57 (IV, 522 L.).

2) deest hoc verbum in codicibus.

3) sic D. Ald. ἐπιγινόμενος ceteri.

4) νόσημα · κεφαλῆς (νόσημα κεφαλῆς. b) πολλῆς (πολλὰς Foesius) δὲ volg.

5) *Versuch einer urkundlichen Geschichte Abderas* in *Gesamm. Abhandl. u. Beitr.* p. 99 ss., praesertim 105 ss. plurima repetivit Hirzelius Herm. XIV (1879) p. 358 ss.

6) qui Aristophanis Byzantii magister fuit; cf. Meinekius hist. crit. com. Graec. p. 478 ss., 462.

1, 194 ss., Sotionem in Stob. flor. I, 312 M., Senecam saepissime [1]). quae fabula separari nequit ab iis quae de Heraclito narrantur qui 'quotiens in publicum processerat flebat', cui 'omnia quae agimus miseriae videbantur'. atque haec apud Senecam primum occurrunt [2]). maxime igitur probabile est utramque fabulam initio aevi imperatorii fictam esse. — deinde epistula sexta decima ad Crateuam herbarium peritissimum missa est qui studio suo et gloria maiorum adeo eminet inter ceteros viros doctos ut Crateuae proavo non cedat. Crateuas autem herbarius clarissimus, ut videtur, floruit aetate Mithridatis, cuius in honorem herbam quandam Mithridateam appellavit (Plin. n. h. XXV, 6, 26) [3]). hic autem quandoquidem de alio Crateua nihil compertum habemus, proavus ille fuisse videtur, qui in epistula quam tractamus commemoratur. cuius nepos, sive re vera fuit sive fictus est ab auctore epistularum, circa Augusti regnum florere potuit. — tum epistula tertia decima ad Dionysium Hippocratis amicum qui Halicarnassi habitat missa est. iis autem quae adhuc tractavimus cum ad Augusteam aetatem perducti simus, nonne veri simile est hunc Dionysium Halicarnassensem commemoratum esse ea de causa quia tunc notus ille rhetor et grammaticus maxima vigebat auctoritate? scio quidem obstare videri quod Dionysius in epistula medici vice fungitur: tamen nihil ei rei tribuendum esse censeo. nomen enim tantum repetitum est a clarissimo illo; medicus autem potuit facillime fingi quia ipse ad priora tempora referebatur. quo fit ut satis certum mihi esse videatur epistulas Hippocrateas priores (i. e. I—XVII) aevo Augusteo fictas esse. si epistula prima ad Paetum quendam missa, altera ab eo scripta esset, inde quidem efficeretur illas epistulas Romanorum aetate exortas esse plura non sequerentur [4]). verum

1) cf. Hirzelius l. l. p. 395.

2) Bernays *Heraklitische Briefe* p. 77 ss.

3) E. H. F. Meyer *Geschichte der Botanik* I, 250 ss.

4) aliunde autem constat has epistulas post primum p. Chr. n. saeculum exortas non esse. Soranus enim qui Traiani et Hadriani

ne harum quidem epistularum falsarium credibile est fecisse Artaxerxem ad Paetum scribentem; accedit quod nomen illud in optimis codicibus traditur Πέτος, non Παῖτος [1]).

altera autem epistularum series, ad quam nunc transeamus, post priorem scripta est. nam auctor earum ut Democritum περὶ μανίης librum ad Hippocratem mittentem faceret, nulla alia causa ductus videtur quam quod in epistula praecedente Hippocrates narrat Democritum cum ipse eum adiisset in hoc libro scribendo versatum fuisse. atque ex epistula sexta Demetrium regem novisse potuit ad quam ep. XXIV data est. si vero discrepantiae intersunt inter duplicem epistularum seriem, de consilio nonnulla mutata esse videntur: fortasse enim auctor posteriorum epistularum prioribus se usum esse celare studuit. accurati de aetate harum epistularum nihil possum proferre. sermone non adiuvamur, cum auctor ipse nihil nisi perpauca de suo addiderit, sed paene omnia ex aliorum scriptis petierit. num iam ante Galenum illae fictae sint nescio. postea demum hoc factum esse eo probari videtur quod ille epidemiarum libri quinti nihil nisi partem priorem (§ 1—50) novit, cum in epistula XIX ad-

---

temporibus Romae fuit in vita Hippocratea 2 (biograph. p. 451 West.) iis usus est. igitur iam ante eum hae epistulae Hippocrati suppositae sunt.

1) ea quae in his epistulis Romanorum aetatem produnt, tantum abest ut magnae offensioni sint ut is qui non data opera in hanc rem inquirit, ea ne animadvertat quidem. longe aliter statuendum est de ceteris tribus epistulis quae Hippocratis nomine feruntur (cf. Westermann comment. de epist. script. Graec. V, 9 ss.). prima quae ad Ptolemaeum regem missa est, Diocli quoque in codicibus tribuitur; Romanorum autem temporibus scripta est quia mensium nomina Romana commemorantur. tertia ad Maecenatem mittitur. verum ne haec quidem quamquam in eam aetatem qua Hippocratis epistulae exortae sunt optime quadrat cum illis coniungi potest, cum nimis aperta vestigia illius aetatis prae se ferat. Caesaris ineunte epistula mentio fit. quare tres hae epistulae alienae esse putandae sunt ab iis quas supra tractavimus: tertia autem illa Antonio Musae recte tribui videtur.

ferantur paragraphi 80 et 81. sed tunc nulla apographa libri quinti in quibus altera quoque pars fuerit extitisse noluerim affirmare. an censes post Galenum illum librum in eam formam redactum esse, qua in nostris codicibus legitur?[1]) iudicium igitur cohibere optimum erit.

---

1) conferas hac de quaestione Ermerinsi Proleg. vol. I p. CXVII sqq.; Galeni locum quem supra respexi adfert p. CXXIII.

II. CONIECTANEA IN CYNICORUM EPISTULAS.

Emendaturis Diogenis Cynici epistulas multae nobis obstant difficultates quarum gravissima in eo posita est quod libri manu scripti nondum satis accurate excussi sunt. nam adnotatio critica quae in editione Hercheriana extat tantum abest ut satisfaciat legenti alicui ut non una ex parte imperfecta sit. ipse autem editor Palatinum quidem se post Boissonadium denuo contulisse dicit, ceteros vero codices vix adiisse videtur. quo fit ut non solum de ceteris libris manu scriptis quorum hic illic mentio fit iudicium non constet, sed etiam de Palatino ipso nequiquam certo possit iudicari. multis enim locis is non adeo discrepat a ceteris codicibus ut sola e re appareat quaenam lectio recta veraque sit, sed ut ab auctoritate quam illi libro tribuamus totum pendeat iudicium. quod cohibendum esse censeo dum omnis lectionis varietas quae reperitur in Vaticano 1353[1]) enotuerit. neque neglegendi sunt ceteri codices quos paucissimis locis Hercherus affert: Parisini 1760, 3047, 2755, quoniam vel hi non parvi aestimandi videntur: quamquam permultis locis ex adnotationibus intellegi nequit utrum ea quae in textu epistularum legantur e codice quodam (praeter P) deprompta sint an coniecturae debeantur. si vero quod equidem sentio licet

---

1) apud Hercherum p. XXXV typothetarum errore legitur V = Vaticanus 135. corrigendum est 1353.

proferre, Palatinus optimus esse videtur: ut solus in altera epistula post θρυπτόμενα addit κακὸν ἄλυν[2]), quod procul dubio bene explicari potest. ἀλύω enim significat '*errare vel ad taedium vel ad gaudium*'. 'apud scriptores posteros maxime invaluit significatio animi otiantis, errabundi, quid agat nescientis, taedium concipientis, otium fallere quaerentis'. atque Plutarchus hoc verbo 'in opp. Moralibus non nisi semel utitur, at in vitis saepius, ubique illis modo dictis significationibus, nusquam potestate gaudendi, exsultandi, irascendi, insaniendi'. cf. Wyttenbachi animadv. in Plut. moral. I, p. 169. eadem autem haec notio voci ἄλυς quoque subiecta est. θρύπτομαι vero quocum verbo κακὸν ἄλυν ut accusativus Graecus coniunctum est significat *deliciis frangi, luxuriare*; igitur θρύπτεσθαι κακὸν ἄλυν *taedio vel gaudio affectum luxuriare.* simili modo multis locis codicis P lectio praestantior esse videtur ceteris codicibus ut ep. I ὑμεῖς μὲν Ἡνιόχοις καὶ Ἀχαιοῖς γείτοσι χρώμενοι — — ἐγὼ δὲ Δελφοῖς καὶ Ἠλείοις μεθ' ὧν καὶ θεοὶ συμπολιτεύονται, XII ὁ μείζων δι' ὃν πάσῃ περιστάσει δουλεύουσιν αἰσχρῶς, XV ἀκούω λέγειν σε[2]), XXVIII, 2 τοὺς μὲν ἐν πολέμῳ πλεονεκτοῦντες, quod mihi optimum videtur quia sequitur verbum agendi αἰτίαν ἐπενεγκόντες, quocum melius illud verbum concinit quam ea quae in textu leguntur πλεονέκται ὄντες. gravissimum autem id est quod praeter decem omnes quae in Palatino 398 extant epistulae inscribuntur nomine eius ad quem epistulae missae sunt appositis verbis εὖ πράττειν et χαίρειν. quas salutandi formulas

---

1) Hercherus emendavit quod in codice legitur κακοναδυν.

2) ἀκούων λέγειν σε μηδέν με ποιεῖν παράδοξον διπλοῦν τρίβωνα φοροῦντα καὶ πήραν ἐξημμένον, ἐγὼ δὲ θαυμαστὸν μὲν οὐδὲν εἶναί φημι τούτων in editione Hercheriana. recipiendam autem esse Palatini lectionem et post ἐξημμένον colon ponendum esse eo probatur quod multae epistulae eodem modo incipiunt: Diog. XVII, Socrat. XII, Pyth. IV, Phal. XLV, Dion. LXV. similiter Diog. ep. XXII, XXV, XXXII.

a scriptore epistularum, non a librario quodam profectas esse ea de causa certum est quia aliae epistulae a similibus incipiunt ut ep. XXVIII Διογένης ὁ Κύων[1]) τοῖς καλουμένοις Ἕλλησιν οἰμῴζειν, XLIX ὁ Κύων Ἀρουέκᾳ γνῶναι σαυτόν[2]). accedit quod scimus quemadmodum veteres in epistulis soliti fuerint uti verbis χαίρειν et εὖ πράττειν[3]), ita ut vix credibile sit fortuito factum esse ut Diogenes ille personatus Hicetam patrem, Olympiadem matrem, Cratetem Metroclem Moninum Zenonem iubeat εὖ πράττειν, Aristippum Anniceridem Cyrenaicos, Alexandrum Antipatrum χαίρειν, neque quisquam hoc librario censebit deberi. hoc si reputaverimus, quam maligne Diogenes Platonem iubeat χαίρειν intellegemus. — de codicibus haec eram dicturus, e quibus satis elucet de

---

1) non erat cur Hercherus mallet scribere ὁ Κύων omisso nomine Διογένης. nam etiam epistula quadragensima incipit ab iisdem verbis: Διογένης ὁ Κύων.

2) simile initium oblitteratum videtur in ep. LI, quae ab his verbis incipit: Ἐπιμενίδῃ χαίρειν. Ἐπιμενίδῃ COIACCATOIΔIEA δι' ἀρετὴν ἀνατλῆναι e. q. s. haeres in altero dativo Ἐπιμενίδῃ, miraris eum repeti post parvum intervallum, nescis quomodo ea interpretanda sint quae secuntur. omnia haec expedies, si mihi concesseris Ἐπιμενίδῃ χαίρειν a librario de suo additum esse, veram salutandi formulam latere in Ἐπιμενίδῃ ἀνατλῆναι; post quem infinitivum gravius interpungendum est. ceteris vero in litteris quae in medio enuntiato leguntur gravis corruptela inest. quattuor postremae litterae male repetitae videntur ex iis quae secuntur. quid in COIACCATOI inesse putandum est? proxime a codicum scriptura abesse videtur: σοφωτάτῳ. simillime inscribuntur epistulae XIX: Ἀναξιλάῳ τῷ σοφῷ χαίρειν (haec in P rectissime), XLIV: Πλάτωνι τῷ σοφῷ χαίρειν. ea quae secuntur in ep. LI: μένοις ἂν οἴκοι τὴν γαστέρα τέρπων καὶ τὸ σωμάτιον κοσμῶν, recte se habent. quod ἄν optativo apponitur, conferas quaeso Krüger *Griech. Sprachl.* 54, 3, 6.

3) cf. Bernays *Heraklitische Briefe* p. 118. *Lucian und die Kyniker* p. 88. peculiarem dissertationem scripsit Iacobus Claudius de formulis salutationum quibus utebantur veteres (Ultraiecti 1702). cf. Orellius ad Socrat. ep. XXXVI.

librorum bonitate iudicium nondum constare omni ex parte. nunc singulos tractabo locos.

XIX. Hercherus post vocem καρηκομῶ (sic codices) sententiam hiare significat idemque Westermannus sensisse videtur quippe qui hoc modo vertat: '*quod autem comam non alo, non mirandum est. iuvenis erat Agamemno, senex vero factus calvo fuisset capite*'. quae versio rectum quidem sensum praebet, nec tamen necesse est quidquam exciderit. saepe enim post enuntiatum hypotheticum omittitur ea quam expectamus sententia: *hoc dico, hoc sciat, hoc non mirum est.* cf. Krüger *Griechische Sprachlehre* I, 65, 5, 14 [1]).

XXX. Diogenes cum Athenas venisset ad Antisthenem se contulit. ὁ δὲ ἐτύγχανε τότε σχολάζων περὶ ταῖν ὁδοῖν ταῖν φερούσαιν †, ἔλεγε δὲ αὐτὰς εἶναι δύο e. q. s. hiat oratio post φερούσαιν, ubi quae desunt, iam Boissonadius supplere studuit: ἐπ' αὐτήν scripsit. parum recte: nam sententiae quidem haec sufficiunt, sermonis concinnitati minime. neque enim quisquam credet scriptorem nostrum adeo stupidum fuisse ut scriberet in paucis versibus παρ' αὐτόν, ἐπ' αὐτήν, αὐτὰς εἶναι δύο. supplendum igitur propono ἐκεῖσε, quod ante ἔλεγε facile potuit omitti. — secuntur haec: κἀγὼ ταῦτα ἀκούσας τότε μὲν κατεσίγησα, τῇ δ' ἑξῆς ἐπειδὴ πάλιν εἰσιόντων ἡμῶν παρ' αὐτὸν περὶ ταῖν ὁδοῖν παρεκάλεσα αὐτὸν ἐπιδεῖξαι ἡμῖν. apparet in hoc enuntiato aliquid inter-

---

1) eadem de causa qua hoc loco etiam Socratic. ep. XIV, 2 καὶ εἴπερ Μέλητος ἐν τῷ δικαστηρίῳ οὐδὲν ἴδιον εἶχε, κακοδαίμων ἦν ἄνθρωπος post εἶχε lacunae signum Hercherus posuit. apparet autem ne hoc quidem loco quidquam desiderari, cum oratio plane pleneque procedat: '*et si quidem Meletus in iudicio nihil proprium habebat, misellus fuit homo*'. Westermannus pro εἶχε coniecit εἶπε, quae mutatio supervacanea esse videtur; si vero quid debet mutari, εἶχεν εἰπεῖν quod saepissime occurrit pro solo verbo εἶχε propono, ubi propter primas litteras plane similes facillime infinitivus potuit excidere.

cidisse, quoniam oratio non bene procedit; nam nulla causa est cur deleamus illud ἐπειδή. an scis quomodo potuerit irrepere? igitur post περὶ ταῖν ὁδοῖν inserendum propono διεῖλε, quod etiam in ep. XXVIII, 8 de Antisthene scholas habente usurpatur. — paragrapho tertia eiusdem epistulae in omnibus codicibus traditur περιβάλλει με τρίβωνα διπλοῦν, quod non mutandum esse censeo; nam etiam apud Herodotum I, 163 legitur ἐδίδου σφι χρήματα τεῖχος περιβαλέσθαι τὴν πόλιν.

XXXVI. in sola hac epistula interpolationem inesse puto. nam paragrapho quarta in qua Diogenes Cyzicenis commendat ut portis affigant hunc titulum: πενία ἐνθάδε κατοικεῖ, μηδὲν εἰσίτω κακόν, interrumpuntur ea quae hac de re disseruntur his verbis: ἀλλὰ Λινδίων τοὺς βόας κατέφαγεν. Hercherus ante hoc enuntiatum lacunae signum posuit. non recte id quidem. primum enim luce clarius est illud enuntiatum plane non quadrare in illam de paupertate expositionem: segregatis autem his verbis ille locus planus est. iam quaeritur quid iudicandum sit de ipsa illa enuntiatione. non dubium erit quin ea a margine in contextum orationis venerit; sed quid putas? num ab epistulae scriptore profectam eam esse censes, ita ut pro frustulo partis cuiusdam huius epistulae habeatur quae nunc amissa sit? hoc vix probabile cum in his epistulis magnae lacunae nusquam sint, sed eae tantum quae paucis verbis litterisve suppleantur. restat igitur ut a legente quodam neque eo insulso haec verba ad epistulam adscripta sint: non ad illa quidem verba inter quae nunc leguntur, sed fortasse ad paragraphum quartam aut sextam exeuntem.

XXXVII, 1. ὁ δὲ τυχὸν ἴσως, ἐπεὶ ἔγνω με καταπλεύσαντα, τῆς ἀγορᾶς ἀπέκλινεν. haec quae in codicibus extant recte se habere satis erit monuisse; neque enim ulla potest proferri causa cur ἀποκλίνειν mutemus in ἐκκλίνειν; ab ἀποκλίνω autem recte pendet genetivus τῆς ἀγορᾶς.

deinde (§ 5) scriptor pergit exponere vix nudum quemquam ea via quae ad beatitudinem ducat ingredi neque quid-

quam secum ferre posse nisi herbam aquam similia. μάλιστα δέ, ut ait Diogenes, ὅπῃ δέοι τοῦ ῥᾷστα βαδίσαι, γυμναστέον ἐσθίειν μὲν κάρδαμον, πίνειν δὲ ὕδωρ, ἀμπέχεσθαι δὲ τρίβωνα κοῦφον, ἀποδειξαμένους τὴν ἄθλησιν τοῦ τε ἀποδύεσθαι πρὸς γῆν. offendo hoc loco in verbo ἀποδειξαμένους quod sensui non satis respondere videtur; neque enim expectamus verbum quo significatur illos homines prae se ferre (ἀποδείκνυσθαι) miseriam laboremque decumbendi in terra, sed illa in se admittere (ἀποδέχεσθαι). igitur nescio an scribendum sit ἀποδεξαμένους.

tum exponit Diogenes apud Antisthenem se didicisse celeri laboriosoque cursu ad felicitatem properare, quam cum assecutus esset se exclamasse: '*sustinui o Beatitudo tua causa; et magnum quidem bonum est aquam bibere*'. apparet non recte Hercherum mutasse codicum lectionem, sed distinctione suo loco posita servandam eam esse: ὑπέμεινα, δαιμονία, διὰ σέ· καὶ (ναὶ Usener) μέγα ἀγαθὸν ὕδωρ πίνειν καὶ κάρδαμον ἐσθίειν καὶ ἐπὶ γῆς κοιμᾶσθαι. traditis verbis sic servatis intelleguntur recte ea quae Beatitudo respondet: suaviora sese illa ei reddere velle quam divitiarum bona; nam boni quidem vel antea illi labores fuerunt, verum non suaves.

XXXVIII. Olympiae Diogenes ad vatem accedit et quaerit ex eo utrum optimus sit vates an malus. qui postquam optimum se esse respondit, Cynicus pergit scrutari baculone eum petiturus sit necne. quod ille paullulum meditatus negat. tunc ridens Diogenes eum verberat, ita ut artem eius vanam esse ostendat. Graeca autem verba in quibus lepida haec fabula inest non libera sunt mendo. haec enim in codicibus: μικρὸν πρὸς αὐτοῦ γενόμενος οὔ φησιν. vitium in aperto est. Boissonadius igitur probante novissimo editore πρὸς αὑτῷ γενόμενος scripsit. quae emendatio non vera esse videtur, quoniam multo leniore medela corruptela haec sanatur. scribendum est πρὸς αὑτὸν γενόμενος una litterula mutata.

XL, 3. κατάγνωθι οὖν ὠγαθέ καὶ ἐν σαυτῷ γενοῦ ἔτι μᾶλλον. Westermannus in versione incipit hoc enuntiatum a

verbis '*in viam igitur redi*', quo veri simile fit illum virum doctissimum emendaturum fuisse primum vocabulum, si ipse epistulas edidisset; fortasse scripturus erat κάτελθε aut κάτιθι. quoquomodo hoc se habeat, id certum est eam lectionem quam nunc habemus non esse sinceram. sanari quidem potest hic locus si addamus σαυτοῦ ut apud Demosthenem saepe legitur; nec tamen hoc mihi satisfacit. leniore fortasse medela potest restitui μετάγνωθι, quod verbum item ut μετανοεῖν non semel in his epistulis usurpatur et quod in sensum totius loci bene quadrare videtur.

L. Εὑρήμων Boissonadius iam dudum recte scripserat, cum male Hercherus tueatur Εὐρήμων. nomen enim ille Charmidae discipulus sine dubio inde accepit quod argutias et griphos optime excogitavit, ut initio epistulae legitur: σοφίσματά μοι καὶ γρίφους προὔτεινεν ἐξησκημένα ὡς ἔνι μάλιστα.

ἔδει δὲ εἴπερ ἀρετῇ συνετέθραπτο ἢ τὴν ἀρχὴν μὴ συστῆναι χρημάτων ἐπιθυμίαν περὶ αὐτὸν ἢ πάσης κακίας ἐστὶ νὴ δία οὐ τῆς σεμνοτάτης φιλοσοφίας, ἧς ἀφῃρῆσθαι τὸ σύμπαν πάθος. codicum exhibui scripturam. mitto autem Boissonadi Hercherique coniecturas, quippe qui persanare locum omnino non conati sint. rectum sensum qui huic loco subiectus est Westermannus in versione sua significavit: *debebat autem si re vera virtute innutritus erat, aut omnino procul ab ipso pecuniae aviditas abesse quae omnis improbitatis causa est, aut sanctissima philosophia ab omni affectu libera praestari.* alterum vero quod desideratur *aut* lenissima medela restituitur: pro ἐστὶ νὴ δία legendum est ἐστὶν ἢ διά qua cum praepositione, postquam deleta est οὐ negatio, coniungitur τῆς σεμνοτάτης φιλοσοφίας. dein e medio tollendum est ἧς quae repetitio esse videtur terminationis vocabuli φιλοσοφίας. sic igitur scribi iubeo: ἔδει δὲ — — ἢ τὴν ἀρχὴν μηδὲ συστῆναι χρημάτων ἐπιθυμίαν περὶ αὐτὸν, ἢ πάσης κακίας ἐστίν, ἢ διὰ [οὐ] τῆς σεμνοτάτης φιλοσοφίας [ἧς] ἀφῃρῆσθαι τὸ σύμπαν πάθος.

Crat. ep. VIII. Thebis Crates ad Diogenem hanc epistulam misit in qua Athenas se venturum esse pollicetur. suo igitur iure viri docti in eo offenderunt quod Crates scribit: ἄλλως — — πλεύσομαι Ἀθήναζε, cum nemo Thebis navi se conferat Athenas. atque Boissonadius in hac re cerni putabat quam male rhetor qui hanc epistulam scripsit geographiae res notissimas novisset. in omnibus autem epistulis subditiciis quotquot perlegi tale inscientiae et neglegentiae exemplum nusquam reperi, ita ut haec verba ab editoribus recte tractata esse mihi non persuadeam. quo fit ut mordicus tenendum esse censeam quod in codice N legitur σπεύσομαι, quae lectio unice recta et genuina facillime in πλεύσομαι abiit [1]).

XXVIII. αἰσχρὸν δὲ ὡς ἐπὶ τούτῳ συγκυνίζειν καὶ ἐν πύλαις εὐδοκιμήσασαν τῷ γαμέτῃ καὶ τῷ πλούτῳ νῦν μετανοεῖν καὶ ἐκ μέσης τῆς ὁδοῦ ἀναστρέφειν. duobus locis haec enuntiatio corrupta est. ac primum quidem offendimus in ὡς ἐπὶ τούτῳ: fieri enim nequit ut ὡς sit *quasi*, ergo arcte cum ὡς coniungendum est ita ut paene haec unam praepositionem efficiant [2]). quod si est, nequit illud ὡς ἐπί nisi cum accusativo coniungi, quoniam significat *usque ad*. quam ob rem ὡς ἐπὶ τοῦτο συγκυνίζειν restituo. in iis quae secuntur Boissonadi emendatio recipienda est, qui pro ἐν πύλαις scripsit ἐν πολλαῖς. εὐδοκιμεῖν cum dativo coniunctum aliis quoque locis reperitur: Xenoph. hist. Graec. IV, 5, 4. Arrian. apud Eustath. ad Dion. 391: πλούτῳ τε εὐδοκιμῶν καὶ ἄλλῃ σοφίᾳ.

XXXIII, 1. ἀλλ' ἐπιδείξασα εἰ ὅπερ ἐχρῆν ἥκειν ἀφῖκται, μελέτω σοι τούτου τοῦ σκυλακίου ἡμῶν· μελήσει δὲ, ἐὰν

---

1) ineunte hac epistula ubi ἡ δὲ δόξα ἡμᾶς οὐδέπω ἔτι καὶ νῦν μεθίεται traditur Cobetus Mnemos. N. S. X (1882) p. 59 ἔτι delevit: non recte opinor. adamavit enim scriptor harum epistularum coniungere ἔτι καὶ νῦν ut haec paene unum sint; cf. epp. IX. XXXII. XXXIV.

2) cf. F. Krebs *die Praepositionen bei Polybius* p. 18.

ἀσφαλῶς σαυτῇ παραπλησίως ἐπεισέλθῃς. postremum verbum non quadrat in hoc enuntiatum, in quo haece inesse debent: *curae autem tibi erit, si loco tuto eum* (sc. *puerum*) *prope a te educas.* nescio igitur an ἐπεισέλθῃς mutandum sit in ἐκτρέφῃς.

VITA.

Ioannes Fridericus Marcks Crefeldiensis natus sum Idibus Maiis anno h. s. LX patre Augusto matre Ioanna e gente Kehren, quibus post paucos menses coniugii quinque lustra feliciter peracta me gratulaturum esse spero. Christianus sum ex eorum secta ortus qui Mennonem Simonis secuntur et maxima fidei libertate se frui gaudent. litterarum elementis imbutus ad ludum litterarium missus sum qui a rebus tractandis nomen traxere, nunc miro nomine 'Realgymnasien' nominantur. sed reliqui hanc scholam aestate anni LXXV et postquam Theodorus Uebert quantum potuit fieri per menses aestivos linguam Graecam et Latinam me docuit gymnasium adii Crefeldiense, in quo imprimis Wollseiffeni et Lingenbergi philologorum, Fayi theologi, Isenkrahei mathematici disciplina utebar. maturitatis testimonio munitus ut philologiae operam darem ad hanc universitatem Bonnensem me contuli cuius inter cives Francisco Buechelero rectore magnifico receptus sum et quam relinquam Hermanno Usenero rectore. me docuerunt professores humanissimi Bender Bernays Buecheler R. Kekulé Klein Leo Lübbert Maurenbrecher Ritter Schaefer Usener. ut in seminarium philologorum Bonnense reciperer factum est benevolentia Buecheleri et Useneri ad quos in regimine mox tertius accessit Luebbert; per quattuor autem semenstria seminarii sodalis ordinarius fui, per annum senior. ad seminarium historicum me admisit Schaefer per tria semenstria, Ritter et Maurenbrecher per unum. praeterea Buecheler benigne concessit ut eius exercitationibus epigraphicis interessem. omnibus his praeceptoribus meis gratias ago quam maximas, imprimis vero Buecheleri Luebberti Schaeferi Useneri pio gratoque animo semper colam memoriam.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Eupolidis fabula quae χρυσοῦν γένος inscribitur ante annum 425 docta esse videtur. cf. schol. Arist. Acharn. 3.

II. Strato philosophus ille fuit quem Plutarchus consol. ad Apoll. 19 p. 112a.b adhortatum esse tradit Arsinoen filii mortem nimis lugentem. cf. Laert. Diog. V, 60.

III. Theocrit. id. I, 130:

ἦ γὰρ ἐγὼν ὑπ' ἔρωτος ἐς 'Αίδα ἕλκομαι ἤδη.

in codice k legitur ἀΐδαν.

IV. Theocrit. id. VIII, 13:

καὶ τίνα θησεύμεσθ' ἁμῖν ὅτις ἄρκιος εἴη;

θησεύμεθ' ὅστις χ' ἁμῖν k. θησεύμεσθ' ὅστις ἄμιν p. θησεύμεσθ' ὅ κεν ἁμῖν Iunt. Call. vulg.

V. Plaut. Menaechm. 90 ss.

dum tu illi quod edit et quod potet praebeas
suo arbitratu usque ad fatim cottidie,
numquam hercle effugiet, tam etsi capital fecerit.

usque deest in libris.

VI. Plaut. Captiv. vv. 429—448 Fl. retractati sunt ex vv. 388—428.

VII. Ind. Stoic. Hercul. col. LXXVIII Comp. sic supplendum propono: ὁ πρότερον πολιτεύσας. πρότερον τ . . . τεύσας R.)

VIII. Chion. ep. II: Θράσων ἐμπορεύεται μὲν εἰς τὸν πόντον. εἰς deest in libris. cf. ep. VII, 2 et VIII.

IX. Eurip. ep. I: τὸ δὲ ὑπὸ σοῦ πεμφθὲν πλεῖον ἢ ὅσου ἥ τε κτῆσις ἥρμοζε καὶ ἦν ἡμῖν ἡ φυλακὴ ῥᾳδία. ὅσον in codicibus.

X. Romana non solum, sed etiam Graeca exempla quae apud Val. Max. V, 10 extant ad Ciceronem referenda sunt.

XI. Val. Max. II, 16, 3 et VII, 2, ext. 2 e Ciceronis consolatione manarunt. quod si posteriore loco Solonis nomen traditur, cum Socratis apud Plut. cons. ad Apoll. p. 106b legatur, hoc Valerius Maximus fortasse non peccavit, quoniam facile illud exemplum e Socraticis quae praecedunt huc relabi potuit.

XII. App. hist. Rom. IV, 80: Βροῦτος δὲ τῶν ἱερῶν περισώσας ὅσα ἐδύνατο, μόνους θεράποντας εἷλε Ξανθίων καὶ ἐκτὸς (ἐκ codd.) τῶν ἀνδραπόδων (ἀνδρῶν codd.) γύναια ὀλίγα ἐλεύθερα καὶ ἄνδρας οὐδὲ ἐς ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα πάντας.

XIII. Iulian. ep. LXII, 8: ὁρῶν οὖν πολλὴν μὲν ὀλιγωρίαν οὖσαν ἡμῖν πρὸς τοὺς θεούς, ἅπασαν δὲ εὐλάβειαν τὴν εἰς τοὺς κρείττονας ἀπεληλαμένην ὑπὸ τῆς ἀκαθάρτου καὶ ἀραίας (καὶ | .. αιας in solo V. desunt in ceteris codicibus) τρυψῆς, ἀεὶ μὲν ὠδυράμην ἐγὼ κατ' ἐμαυτὸν τὰ τοιαῦτα.

XIV. Stob. flor. III, 177 v. 6 Mein. πρέπειν μὲν ἐν εἰρήνῃ. ἐν deest in libris.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
880M33S C001
SYMBOLA CRITICA AD EPISTOLOGRAPHOS GRAEC
3 0112 023750349